DE PLAUTI MEMORIA APUD NONIUM SERVATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS CAESAR

COLONIENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXVI.

Aulae Vimariensis officina typographica.

GUILELMO STUDEMUND

PRAECEPTORI CARISSIMO

S.

Cum ad alios scriptores antiquos emendandos tum ad genuinam Plautinarum fabularum formam reciperandam praeter codices exempla apud grammaticos seruata maximi momenti esse postquam intellectum est, ei, qui inde a Ritschelio in Plauto recensendo operam collocarunt, singulis locis grammaticorum testimonia respexerunt. Primus omnes locos Plautinos, qui ex Verrii Flacci libris deriuati apud Festum ipsum uel apud Festum a Paulo excerptum extant, complexus ea qua par est diligentia tractauit et quam utilitatem ad crisin Plautinam afferrent dedita opera quaesiuit Eduardus Leidolph in libello qui inscribitur „de Festi et Pauli locis Plautinis" Lipsiae 1883.

Omnium quotquot supersunt grammaticorum longe plurima exempla ex Plauto deprompta habet Nonius Marcellus, qui priore saeculi p. Chr. n. quarti parte „de compendiosa doctrina per litteras ad filium" scripsit. De cuius operis compositione et fontibus cum ageret Paulus Schmidt in libro „de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis" Lipsiae 1868 publici iuris facto, pag. 18—47 exemplis Plautinis accurate in examen uocatis docuit per plurima operis Noniani capita non paruum scriptorum numerum certo quodam ordine laudari solere, ita ut „ordines" exemplorum efficerentur, qui eadem ratione in ceteris capitibus redeunt, qua in primo capite sunt exscripti. Atque Plauti quidem duos eiusmodi „ordines" aliorum scriptorum exemplis inter se diremptos statuit Schmidt, quos ex duobus commentariis fluxisse putat; idem negat Nonium ipsum illos ordines ex exemplari Plautino collegisse; cf. p. 34—35 et p. 47, ubi ea, quae de ordinibus et fontibus, ad quos redeant, exposuit, his uerbis complectitur: „uidentur illi ordines profecti esse e

commentariis duobus, qui satis docte et erudite scripti Verrii Flacci, Varronis, Probi horreis haud pauca rettulerint accepta, qui ne e Sisenniani quidem commentarii copiis nihil habuerint." Ego, qui Plautinorum exemplorum formae, qualis hodie apud Nonium legitur, quae sit auctoritas in crisi Plautina, inuestigandum atque explicandum mihi proposui, post Schmidtium denuo dedita opera de Nonii fontibus agere nolui. Ceterum plurima illa exempla Plautina, quae extra „ordines" Schmidtianos extant, quomodo Nonius compilauerit, minime constat, neque aliorum grammaticorum opera uel Plautum ipsum hic illic Nonium ad partes uocasse exemplaque inde sumpsisse quominus putemus quicquam obstat.

Diuersis uero ex fontibus exempla Plautina fluxisse et per se uerisimile est et intellegitur nonnullis eorum locorum Plautinorum, quos Nonius bis uel ter laudat, comparatis:

N 102, 29[1]) (in cap. II), Epid. 188 *Exorbebo] pro exorbeam* (Quich.[2]) *exhauriam*). *Plaut. Epid.: Iam ego me conuortam in irundines (hirudinem)*[3]) *Atque horum exorbebo sanguinem* || N 479, 21 (in cap.VII) *Exugebo] Plaut. in Epid.: Iam ego me ⟨con⟩uortam in erundinem (hirudinem) Atque eorum exugebo sanguinem.* Quidquid de coniunctiuo *exorbeam* ad explicandum *Exorbebo* adiecto cogitandum est (quem defendit ut optatiuum Ribbeck ann. phil. t. 69 p. 35 in adn.), id quidem recte monuit Ribbeck, duplicem (*exorbebo* et *exugebo*) fuisse contextus Plautini formam, ita ut exempla redeant ad duorum grammaticorum opera, quorum

---

1) In citandis locis Nonianis (N) sequor paginas editionis Mercerianae (Lipsiae 1826) ad editionem Parisiensem anni 1614 fideliter repraesentatae, sic quidem, ut alter numerus lineam significet, in qua lemma, ad quod pertinet exemplum Plautinum, incipit.

2) Quid notae significent, uide sis in huius praefationis fine.

3) Ubicumque per hanc totam commentationem lectionem rotundis cancellis *( )* circumclusam antecedenti sine adnotatione addidero, intellege lectionem genuinam pro corrupta substituendam. Uncinis *[ ]* ea circumclusi, quae omittenda, cancellis acutis ⟨ ⟩ ea, quae contra codicum memoriam supplenda sunt.

alter alterius recensionis uestigia exhibuerit. Leuius illud est, quod alterum exemplar *horum*, alterum *eorum* (cum Palatinis) habet. Ceterae discrepantiae Nonii aut librariorum socordia effectae sunt.

N 388, 6, Amph. 1127 *Supremum] susum altum. — Plaut. in Amph.: Ut Iouis supremi multis host⟨i⟩is pacem petam* || N 460, 11 *Pacem] peti et a diis posse, Virgilius significat — Plaut. Amph.: Ut Iouis supremi multis hostiis pacem expetam.*

N 308, 32, Asin. 174 *Fingere] effigiare uel formare et facere. — Plaut. in Asin.: Nam nec fictum usquam est nec dictum* (LW *tictum*; utrumque corruptum ex *pictum*) *neque scriptum in poematis* || N 493, 8 *Poematorum] pro poematum. — Plaut. Asin.: Nam nec fictum unquam est neque pictum neque scriptum in poematis.*

N 152, 4, Aul. 445—46 *Pipulo] pro conuicio. Plaut. Aul.: Ita me bene amet Lauerna! Te iam, nisi reddi Mihi uasa iubes, pipulo te hic differam ante aedis* || N 284, 18 *Differre] diuidere uel scindere. — Plaut. in Aul.: Nisi redde (reddi) Mihi uasa iuues (iubes), pipulo te differam ante aedis.* Infra uberius ostendam exemplum priore loco commemoratum cum recensione Palatina congruere uideri, posteriore loco commemoratum cum Varroniana, quae recensiones in collocatione uerborum *te* et *hic* inter se distabant.

Haec quattuor exempla uariis, ut lemmata docent, de causis a Nonio allata ad fontes contextus Plautini diuersas formas exhibentes redire posse concedent omnes; certo redire primum confidenter affirmare licet, reliquorum discrepantias Nonio (breuitatis studio ductus Nonium dico; nam semel moneo, quid Nonio ipsi, quid auctoribus, quos secutus est, tribuendum sit, discerni non posse) neglegenter uel licenter exempla exscribenti tribuendas esse suspicari possis. Sunt sane exempla Plautina a Nonio repetita, quorum explicatio docere uideatur ad eundem fontem utrumque exemplum redire, cum tamen contextus forma discrepantias exhibeat:

N 7, 9, Cas. II 3, 49 *Frigere est et friguttire et fritinnire]*

sussilire cum sono uel erigi et exilire: quod quaecumque friguntur uel frigent, nimio calore uel frigore cum sono susum sussiliunt. Plaut. Cas.: Nam quid friguttis? Quid istuc tam cupide cupis? || N 308, 11 *Frigere est et friguttire] cum sono sussilire. Plaut. Cas.: Nam quid friguttis? [nam] quid istud* (pro *istuc*) ⟨*tam*⟩ *cupide petis?* Illic *cupis,* hic *petis* legitur, quamquam dubitari uix potest, quin lemma et exemplum utrumque ex uno eodemque fonte fluxerint.

N 54, 9, Trin. 194 *Recepticium] seruum quidam ab ea proprietate dictum uolunt, ut, si nequam et nihil⟨i⟩ sit qui uenundatus* (Quich. *uenumdatur*) *ob aliquod uitium aut malefactum, a distractore recipiatur. Sed uera haec est eius nominis interpretatio: quem in data dote aut donatione quis exceperit, quod est proprie receperit. Plaut. Trin.: Posticulum hoc recepit, quum ⟨a⟩edis uendidit* || N 384, 10, Trin. 193—94 *Recipere] exceptum facere. Plaut. Trin.: Ubi nunc adulescens habet? Posticulum hoc recepit, quum aedis uenderet.* Quamquam uterque locus ex Gellio XVII 6 contra Verrium disputante fluxit, tamen in hunc irrepsit coniunctiuus *uenderet* e *quum* suspensus, qui quidem et a sermone Plautino alienus est et usui loquendi posterioris temporis conuenit. Eodem modo saepius sermonem Plautinum non ea qua par erat diligentia tractatum esse exemplum habemus Ciceronis, qui de diu. I 31, 65 Aulularíae uersum 178 laudat, ubi apud Plautum legimus *quom exibam domo,* apud Ciceronem *exirem.*

Minus certa est res in his locis bis a Nonio laudatis:

N 496, 8, Amph. 257 *Accusatiuus positus pro datiuo. Ignoscamus illam rem, pro illi rei [ignoscant]. Plaut. Amph.: Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum* || N 502, 8 *Accusatiuus pro datiuo. — Plaut. Amph.: Velatis manibus orant, ut ignoscamus peccatum suum.* Hoc exemplum cum in eodem capite (IX.) bis extet, fortasse errore librariorum repetitum est. Sed id quoque fieri potuit, ut, cum undique doctrinam corraderet, in alio fonte Nonius idem exemplum, quod iam antea aliunde attulerat, inueniret itaque reciperet. Sane quidem constat particulam *ut* tamquam glossema

irrepsisse, qui error utrum fontis discrepantiae an Nonio an librariis tribuendus sit, dici nequit.

N 438, 13, Asin. 784 *Positum est annuere] pro innuere. Plaut. Asin.: Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat* || N 439, 27 (in eodem capite) *Inter nutare, annuere, nictare] ueteres hoc interesse uoluerunt, ut nutare capitis, annuere uel innuere narium uel labrorum, nictare oculorum significantiam esse decreuerint. Plaut. Asin.: Neque illa ulli hominum nutet, nictet, annuat.* Locutio *ulli hominum* etsi non est secundum sermonem, quo uti solet Plautus, tamen non utique damnanda est: cf. Lorenz ad Most. 712. Ceterum quid Nonius in altero loco scripserit, pro certo affirmare non licet, cum Mercerus et Gerlach exhibeant *ulli homini,* Quicherat *ulli hominum,* nulla adnotata codicum discrepantia.

Praeterea alia exempla bis terue a Nonio allata eundem fontem redolent, atque maxime ea, quae isdem uitiis laborant:

N 391, 17, Amph. 276 *Ita statim ad (stant) signa omnia* || N 393, 8 *Ita statim stant signa omnia.* Utroque loco *omnia,* quod in contextu Plautino metro respuitur, perperam additum est.

N 247, 10, Asin. 158 *Aestus] marini impetus uel commotiones. — Plaut. in Asin.: Quo magis te in altum capessas (capessis), aestus te in portum refert* || N 266, 19 *Capessere] immittere. Plaut. in Asin.: Quo magis te in altum* (Quich. errore, ut uid., *in altum te*) *capessis, aestus te in portum refert* || N 381, 27 *Referre] reuocare. — Plaut. in Asin.: Quo magis te ⟨in altum⟩ capessis, aestus te in portum refert.* Pal (id est codices Plauti Palatini) *Quam magis — tam aestus.* Quod Nonius habet *quo* omisso pronomine demonstratiuo in enuntiato primario, prauum esse infra docebo.

N 3, 26, Asin. 172 *Par pari hostimentum datum est, opera pro pecunia* || N 528, 29 *Par pari hostimentum datum ⟨est⟩, opera pro pecunia.* Pal recte *datum hostimentumst*; nam Nonium verba perperam collocasse metrum indicat.

N 1, 18, Men. 756—58 *Senium] est taedium et odium* e. q. s. *Plaut. Men.: Consitus sum Senectute: — uires Reli-*

quere. ut aetas mala est mers mala e s t *ergo* || N 192, 18, Men. 758 *Aetas] feminini est generis. Plaut. Men.: Ut aetas mala est mers mala* e s t *ergo.* Alterum *est,* quod Pal post *ergo* collocant (sed hic quoque est delendum), Nonius eo loco habet, ubi metrum bacchiacum disturbet. Ceterum Nonius utroque loco *mers,* Pal B²CD *merx* (B¹ *mer*****).

N 115, 31, Merc. 205 *Quo⟨d⟩ guttatim — quasi in* a q u a *indideris salem* || N 223, 11 *Quasi in* a q u a *indideris salem.* Utroque loco Nonius perperam ab *indere* praepositionem *in* cum ablatiuo (pro accusatiuo) pendentem tradit.

N 8, 31, Epid. 609 *Caperrare] est rugis frontem contrahere* e. q. s. *Plaut. Epid.: Quid illuc* (Merc., Gerl. *illud*) *est quod illi* c a p e r r a t *frons seueritudine?* || N 173, 8 *Seueritudine] pro seueritate. Plaut. Epid.: Quid illud est quod illi* c a p e r r a t (sic codd. HL; Gerl., Quich. *caperat*) *frons seueritudine?* Pal *caperat,* Nonius utroque loco (ut uidetur; nam de altero non prorsus constat) *caperrat* minus, si quid uideo, probabiliter. Quodsi Mercero et Gerlachio fides habenda est, eo quoque Nonius a Pal discrepat, quod utroque loco *illud* habet, Pal *illuc.*

Alia denique sunt exempla apud Nonium repetita, in quibus lectio Noniana aeque bona aut praestantior quam codicum Plautinorum est; sunt autem haec:

N 95, 12, Aul. 398—99 *Desquamat] squamis exspoliat. Plaut. Aul.: Dromae (Dromo) — tu Machaerio Gongrum (Congrum), muraenam* e x d o r s u a q u a n t u m p o t e s ⟨*t*⟩ || N 17, 29 *Exdorsuare] dorso nudare. Plaut. Aul.: Tu Mac⟨ha⟩erio Congrum, muraenam* e x d o r s u a q u a n t u m p o t e s t. Palatinorum lectio *Congrum m. exossata fac sient* quam praua sit, infra docebo.

N 272, 6, Aul. 567 *Caedere] immolare. Plaut. in Aul.: Caedendum conduxi* e g o i l l u m || N 274, 13 *Conducere] emere. Plaut. in Aul.: C⟨a⟩edendum conduxi* e g o i l l u m. Pal *illum ego conduxi,* ubi saltem *ego illum conduxi* scribendum erat.

N 151, 15, Asin. 506—7 *Pien (Piem)] colam, custodiam. Plaut. Asin.: Ubi pien (piem) [colam] pietatem, si* 'i s t o c *more moratam tibi Postulem — praecipis?* || N 375, 16 *Postulare]*

uelle. Plaut. in Asin.: Ubi opem (piem) pietatem, si istuc (pro *istoc) more moratam tibi Postulem — praecipis?* Pal *isto more.*

N 317, 26, Aul. 657 *Habere] tenere, occupare. — Plaut. Aul.: Postremo hunc iam perscrutaui: nihil habet* ‖ N 469, 2 *Scruto] Plaut. in Aul.: Postremo hunc iam perscrutaui.* Pal *iam hunc.*

N 128, 33, Aul. 774—75 *Indipiscere] petere, usurpare. Plaut. Aul.: Nec partem tibi Adeo cui sit indipisces neque furem excipies?* ‖ N 293, 11 *Excipere] excusare uel celare. Plaut. in Aul.: Nec partem tibi Adeo cuiuis* (sic plerique codd.) *indipiscis (indipisces) neque furem excipias (excipies)?.* Pal *ab eo cuiquam est* (hic locus antiquitus corruptus est; Goetz coniecit *quoiumst*) *inde posces.* De lectionum discrepantia *adeo — indipisces* et *ab eo — posces* infra agam. Ceterum leuiculum illud est, quod Nonius utroque loco *Nec* habet, Pal *Neque.* Formas *indipiscis* et *excipias* in altero loco librariorum socordiae tribuerim.

Ad eundem fontem hoc quoque exemplum bis a Nonio laudatum redire inde cognoscimus, quod utroque loco Lucilio tribuit Nonius, siue error fuit in fonte quo usus est, siue Plautina uerba Lucilius commemorauit: N 271, 27, Merc. 397 *C⟨a⟩edere] excidere — Lucilius lib. XXVI* (H *XXVIII,* L *XXVII*)*: Lignum — uerrat uapulet* ‖ N 420, 7 *Verrere] mundare — Lucilius lib. XXVII* (W *XXVIII*)*: Lignum — uerrat [ac] uapulet.*

Reliqua, quae apud Nonium bis extant, exempla Plautina aut inter se et cum codicibus Plautinis consentiunt, aut librariorum tantum culpa discrepant. Itaque quae exempla Nonius repetit plurima ad eosdem, nonnulla ad diuersos fontes redire apparet. Atque solebant illius temporis grammatici non omnia ex uno eodemque scriptoris, quem tractabant, exemplari haurire, sed simul antiquiorum grammaticorum scrinia compilare. Quod autem Schmidt exempla illa in „ordinibus" quos uocat extantia partim ad grammaticos, qui multo ante Nonium uixerunt, redire ex certis indiciis conclusit, idem quin de magna parte ceterorum ualeat, uix est cur dubitemus.

Quodsi quae exposui respexeris, facile intelleges exemplis Plautinis apud Nonium seruatis non unum effici corpus, neque unam recensionem ab uno homine docto confectam, quales sunt Ambrosiana et Palatinà, repraesentari, sed cum uariis ex fontibus confluxerint, eam formam exhiberi, quam singuli exhibuerint fontes.

De duobus illis commentariis, e quibus „ordines“ Plautinos in opus Nonianum transscriptos esse Schmidt docuit, nuper egit Maximilianus Hennig in libello qui inscribitur „de Nonii Marcelli locis Plautinis" (Regimont. 1884), in quo non omnia exempla Plautina, quae Nonius memoriae tradidit, sed primaria tantum, quae in ordinibus Plautinis seruata sunt (de quibus uide Schmidt p. 6), perlustrauit, et id ipsum demonstrare conatus est, utrumque commentarium ad recensionem Ambrosianam redire. Nam ut hominis docti ipsius uerbis utar, summam eius quam instituit quaestionis hanc esse pronuntiat (p. 39): „uidimus nullum locum Plautinum a Nonio allatum certe demonstrare, non ex A siue e fonte, unde postea A fluxit, commentarios, quibus Nonius usus sit, hausisse; certe e Palatinis non fluxisse, quae habuit commentarius prior, in undetriginta uersibus uidimus, quae habuit commentarius posterior, in uiginti quattuor uersibus. A autem fuisse fontem commentarii prioris certe apparuit uersibus uiginti tribus; quin in ceteris quoque uersibus, cum Palatinis consentientibus, quamquam possent Palatini fontes fuisse, tamen, si haec omnia considerauerimus, ex Ambrosiana recensione hauserit Nonius, non dubitabimus." Facile Hennigio concedo Nonii commentarios non e Palatinis fluxisse, cum in tanto exemplorum numero Nonius a Palatinis discrepet. Nec tamen pari iure priorem commentarium ad Ambrosianum librum redire contendit Hennig. Nam eorum exemplorum, quae in commentario illo tamquam primaria seruata cum utraque recensione, Ambrosiana et Palatina, comparare licet, non minorem numerum cum Pal contra A quam cum A contra Pal facere uidebimus, si ipsam contextus formam examinauerimus. En exempla de quibus agitur congesta:

I. N cum A a Pal discrepat.

1) N 548, 17, Epid. 224 NA *istae faciunt,* Pal *istacc facimus.* Praeterea N casu quodam idem mendum quod A *(Inpluuiata)* habet ‖ 2) N 84, 19, Pseud. 674 NA *me ut gloriosum — et copi,* Pal *me gloriosum — ut copi* ‖ 3) N 164, 30, Pseud. 1300—1 N *Simon,* A *Simo,* Pal *modo.* (In priore huius exempli uersu N cum Pal contra A facit; uide sub II.) ‖ 4) Uno loco N ab A propius abest quam a Pal: N 12, 16, Trin. 251—52 N *Vestispici,* A *Vestispica,* Pal *uestiplice.* Cur Nonium codicis A lectionem ita mutasse, ut pro feminino masculinum substitueret, Hennig (p. 6) contenderit, non intellego: immo masculinum eum in fonte suo inuenisse lemma docet ‖ 5) et 6) Dubitari potest de his locis: N 549, 4, Mil. 1179 N *thalassicus est*; in A[s] (id est in A teste Studemundo) aut *thalassicust* aut *thalassicus* fuit; Pal om. *est* ‖ N 9, 29, Mil. 1407 N *dispennite — distendite.* Pal *distendite — dispendite* (B *dispendite — dispendite*). In A[s] postremum uerbum *distendite* fuisse paulo uerisimilius est quam *dispendite*: itaque priore loco *dispendite,* cuius tamen praeter duas litteras *D* omnes reliquiae euanuerunt, exaratum fuisse procliuis est suspicio.

Ex ceteris uero exemplis omnibus, quae Hennig affert (p. 22—27), nihil ad hanc quaestionem diiudicandam concludi potest, cum homo doctus partim dė codicum Plautinorum lectionibus errauerit, partim eas, quae librariis Plautinis Nonianisue debentur, discrepantias recensionibus tribuerit. Breuiter omnes deinceps locos enumerabo:

1) N 476, 33, Truc. 138—39 *Ego expedibo: Rem perdidi apud uos.* Verba *apud uos* in Pal interciderunt una cum uerbo insequente *uos* (— *abstulistis*): quod pronomen in A calami errore ortum esse non recte iudicat Hennig.

2) N 539, 15, Epid. 230 *Tunicam rallam, tunicam spissam* ‖ N 539, 28, Epid. 230 *Linteolum caesicium.*

N 539, 32, Epid. 231 *Indusiata, patagiata, catulam aut proputulam* ‖ N 540, 4 *Indusiata, patagiata* ‖ N 548, 21 *Illusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam.*

N 539, 17, Epid. 232 *Rica, basilicum aut exoticum* || N 540, 8 *Supparum aut subnimium est ritam* (H² *ricam*), *uasilicam aut exoticum* || N 540, 17 *Basilicum aut exoticum.*

N 548, 33, Epid. 233 *Plumatile aut cumatile* (sic H Gerl.; Quich. *Cumatile aut plumatile*), *cerinum aut gelinum* || N 540, 19 et N 548, 8 *Cumatile aut plumatile.*

Eae lectionum discrepantiae, e quibus Hennig (p. 24) concludit Nonium non Palatina, sed Ambrosiana recensione usum esse, sunt hae: Nonius cum A habet *crocotulam*, Pal *crutulam* (E ³ s. *u* pr. *o*); Nonius cum A *supparum*, Pal *sub parum* (at J *supparum*). Quid? nonne haec librariis tribuenda sunt? Quod uero Nonium cum A *subnimium* tradere contendit homo doctus, errauit, nam A^s habebat *subnimiciam* aut *subnimniam.*

3) N 548, 17, Epid. 224 *Impluuiata? ut istac faciunt uestimentis nomina.* Pal non *Impluuiatum*, sed BE *inpluuiatam*, J *impluuiatam* praebent.

4) N 8, 31 et 173, 8, Epid. 609 nihil probant, cum codicis A scriptura eis de quibus agitur locis *(illud*, Pal *illuc*; *caperrat*, Pal *caperat)* non seruata sit.

5) N 10, 31, Pers. 421 *Perennis herbae, lurco, edax, furax, fugax.* A^s habet *lyrche edax*, Pal *lur chedax.*

6) N 123, 20, Trin. 535—37 *Alii exsolati abierunt, alii emortui. — redactus est.* A *exolatum*, Pal *exulatum.* Quod N ab antiquiore uerbi forma, quam A tradit, propius abest, non recensioni tribuerim.

7) N 199, 19, Poen. 908 *Quin prius disperiuit faxo quam unum calcem ciuerit.* A^s non *unum*, sed cum Pal *unam* exhibet.

8) N 423, 28, Pseud. 281—82 *Nimio — piget: Non dedisse istum pudet: me, quia non accepi, piget.* Quod Pal habent *dedissetis tum*, quis recensioni Palatinae tribuat?

9) N 456, 21, Epid. 559 *Caedo (Cedo) manum. Accipe. Aerumnarum et miseriarum compotem.* A^s cum Pal habebat *aerumnosam*, nam haec apparuerunt: *AERUMNOS—*

10) N 476, 25, Cas. I 41 *Ruri reddibo.* Pal *te ruri reddibo*, non *ruri reddibo te* tradunt.

11) N 533, 23, Stich. 366—68 *Quum percunctor portitores, — censeo.* A *percontor*, Pal *perconctor.* Nonium ex uersu proximo 370 formam uerbi ex codice A in priorem locum transscripsisse nemo Hennigio credat. Neque uero habet u. 370 A[s] *percunctamur,* sed *percuntamur.* (Ceterum hoc loco moneo Goetzium non recte u. 368 in adnotanda codicis A lectione *ME* omisisse.)

II. N cum Pal ab A discrepat.

1) N 102, 33, Epid. 582 N Pal *prorsum,* A *prosus.* Non recte Hennig p. 6 sq. Nonium *prorsus* tradere contendit ‖ 2) N 10, 12 et N 446, 31, Pers. 408 N Pal *iniure — labes,* A *periure — tabes,* ubi tamen *tabes* errore librarii pro *labes* exaratum uidetur esse ‖ 3) N 423, 28, Pseud. 281—2 N Pal *Nimio — istum,* A *Nimis — istunc* ‖ 4) N 164, 30, Pseud. 1300—1 N Pal *ructare in os mihi,* A *—OSRU(ct)AREMIKI*; fuerit in A *in os ructare mihi.* (In u. 1301 N facit cum A) ‖ 5) N 123, 20, Trin. 535—37 N Pal *abierunt,* A *abiere* ‖ 6) N 457, 8, Truc. 268 N Pal *te mulier quasi sus catulos,* A *te quasi sus catulos mulier* ‖ 7) Uno loco N a Pal propius abest quam ab A: N 227, 19, Pseud. 152 N *quam hoc terginum meum,* Pal *quam terginum hoc meum,* A om. *hoc.*

His septem exemplis consideratis commentarium illum priorem siue maiorem ad codicem A redire nego; nec de commentario altero siue minore, cuius reliquias, cum Amphitruonis, Asinariae, Aululariae tantum sint, cum cod. A comparare non licet, quicquam statui potest. Praeter exempla modo allata ea quoque Hennigio obstant, in quibus Nonius et a codice A et a Pal discrepat:

1) N 540, 8, Epid. 232 N *subnimium,* A[s] *subnimiciam* aut *subnimniam,* Pal *subminiam* ‖ 2) N 548, 33, Epid. 233 N *cerinum aut gelinum,* A[s] *carinum aut gerrinum,* Pal *garinum aut gerrinum* ‖ 3) N 456, 21, Epid. 559 N *aerumnarum,* A[s] *AERUMNOS—,* Pal *aerumnosam* ‖ 4) N 455, 10, Men. 89 N *hominis,* A[s] *—INI,* Pal *homini* ‖ 5) N 9, 29, Mil. 1407 N *dispennite,* A[s] *D(ispen)D(ite)* aut quod est minus uerisimile *D(isten)D(ite),* Pal *dispendite* sed in fine uersus ‖ 6) N 210, 17, Pers. 493—94 N *pergrandem lucrum,* A[s] *PERGRA(nd)-*

ELUCRUM, Pal *pergrande lucrum* || 7) N 424, 17, Poen. 488—89 N *neque umquam,* A Pal *nec umquam* || 8) N 199, 19, Poen. 908 N *unum calcem,* A Pal *unam calcem* || 9) N 227, 19, Pseud. 152 N *hoc terginum meum,* A *terginum meum,* Pal *terginum hoc meum* || 10) N 533, 23, Stich. 366—68 N *Quum,* A Pal *Dum;* N *percunctor,* A *percontor,* Pal *perconctor* || 11) N 12, 16, Trin. 251—52 N *Vestispici,* A *Vestispica,* Pal *uestiplice* || 12) N 123, 20, Trin. 535—37 N *exsolati,* A *exolatum,* Pal *exulatum;* N *a⟨d⟩ incitas redactus est,* A *ad incitast redactus,* Pal *ad incitas redactus* || 13) N 103, 4, Mil. 1180 N *expapillato,* Pal *exfafillato,* A^s certo nec *expapillato* nec *exfafillato* habebat, fortasse *expalliolato* (?).

Itaque ea exempla apud Nonium seruata, quae cum duabus illis, quibus hodie crisis Plautina nititur, recensionibus comparare licet, partim cum recensione Ambrosiana, partim cum Palatina faciunt, partim ab utraque recensione distant: et plures duabus fabularum Plautinarum recensiones olim circumlatas esse uerisimile est. Hanc uero, quam modo dixi, rationem inter locos Plautinos, quos Nonius seruauit, et recensionem Ambrosianam Palatinamque intercedere is non mirabitur, qui, quomodo grammatici Latini opera sua compilauerint, reputauerit.

Restat, ut de eis exemplis agam, quae quoniam non in „ordine“ illo seruata sunt, Hennig non examinauit.

I. N cum A a Pal discrepat.

7) [1]) N 98, 23, Cas. IV 4, 5 NA *sis,* Pal *sies* || 8) N 508, 10, Epid. 151 NA *illa,* Pal *de illa* || 9) N 510, 33, Poen. 335 NA *aha,* Pal *ah* || 10) N 396, 32, Poen. 855 NA *sit,* Pal *est* || 11) N 170, 25, Pseud. 382 NA *ego illum simulter* (A *similiter*), Pal *similiter ego illum* || 12) N 536, 18, Pseud. 738 NA *addecet,* Pal *decet* || 13) N 192, 10, Stich. 348—9 NA *araneorum — eorum,* Pal *arancorum* (quod casu pro *aranearum* exaratum esse ex sequentibus apparet) — *earum* || 14) N 497, 5, Trin. prol. 1 NA *Sequere hac* (N *ac*) *me,* Pal *Sequere me mea.*

---

[1]) Exempla 1—6 uide supra p. 13.

II. N cum Pal ab A discrepat.

8)[1]) N 8, 15, Epid. 152 NPal *exsoluam,* A *exsoluar* || 9) N 203, 4, Mil. 397 NPal *dorsus totus,* A *dorsum totum* || 10) N 305, 11, Mil. 1322—23 NPal *ut fluat,* A^s *ut afluat* || 11) N 495, 10, Pers. 391 NPal *dicam,* A^s *dico* || 12) N 104, 10, Poen. 357 NPal *expalpa,* A *palpa* || 13) N 89, 16, Truc. 232 NPal *habeat,* A *habet.*

Praeterea multa sunt exempla, quae non in „ordine" illo extant, ubi Nonius ab utraque recensione distet: de quibus infra data occasione agetur.

Iam transeo ad id, in quo maxime opera mea uersabitur, ut exemplorum Plautinorum apud Nonium seruatorum quae sit auctoritas in Plauti fabulis recensendis atque emendandis, accuratius exponam; atque in priore commentationis parte ea Noniana complectar, quae nullius pretii sunt in crisi Plautina, siue a Nonii librariis siue a Nonio siue ab antiquioribus grammaticis criticisue corrupta sunt, in posteriore ea, quae alicuius, uel minimi, pretii uidentur esse.

In qua re pertractanda maxima difficultas inde oritur, quod Luciani Muelleri editione Nonii ad optimos codices facta etiam nunc caremus. Nam Gerlach et Roth, quorum editio prodiit Basileae 1842, codices Guelpherbytanum (W, saec. X.) et Leidensem (L, saec. IX. uel X.) potissimum ita respexerunt, ut ipsa menda in contextum reciperent, Quicherat (Quich.) autem, cuius editio Parisiis 1872 publici iuris facta est, plerumque codicem Parisiensem (P, saec. X.) sequitur, atque insuper contextum Nonianum ex codicibus Plautinis, quibus hodie utimur, passim interpolatum exhibet; codicis Noniani antiquissimi Harleiani (H, saec. IX.) collationem edidit I. H. Onions in Anecdotis Oxoniensibus 1882 (Classical series vol. I part II). Ex his quattuor codicibus ego genuinam archetypi Noniani lectionem restituere conatus sum. Codicis Harleiani et manus prima et secunda sunt respiciendae, cum modo illa, modo haec (quae uidentur esse eiusdem temporis, cf. Onions l. c. p. 93) lectionem

[1]) Exempla 1—7 uide supra p. 15.

genuinam seruauerit; saepissime tamen id, quod neglegenti primae manus calamo exciderat, correxit manus secunda.

Codex Parisinus ad Harleianum tam prope accedit, ut Onions ex hoc illum descriptum esse contenderit. Item codices Guelferbytanus et Leidensis artiore quadam necessitudine inter se coniuncti sunt, atque cum editio a Gerlachio et Rothio curata his potissimum codicibus nitatur, ubi de iis taceant editores, eos id quod LW habent recepisse recte colligere mihi uideor: quas lectiones ego nota „Gerl" significaui; itaque „Gerl" est fere = LW, ubi non alterum utrum codicum discrepare adnotauero.

Denique moneo me, quae ratio intercedat inter Nonium et codices Plautinos in minutiis orthographicis et orthoepicis, non respicere, plurimas autem recentiores uerborum formas in Nonium irrepsisse.

Codicum Plautinorum Ambrosianum ad ipsum Guilelmi Studemund, praeceptoris mei dilectissimi, apographum (A^s uel A) citare mihi licuit; Palatinos uniuersos nota Pal, singulos (inspectis praeter editionem Ritschelianam eiusdem Studemundi collationibus) litteris BCDEJ significaui.

(PARS PRIOR, quam hic omisi, propediem edetur in Dissertationum Philologicarum Argentoratensium uolumine XI pag. [191] sqq.)

PARS ALTERA.

In parte altera omnia ea Noniana complectar, quae in crisi Plautina alicuius pretii sunt.

CAPUT PRIMUM.

Nonius et codices Plautini inter se consentiunt.

A. Ac primum quidem ea exempla breuissime enumerabo, quae cum codicibus Plautinis omnino congruunt atque eam tantum utilitatem afferunt, ut lectionem certa Plautinorum codicum fide traditam atque ab hominibus doctis comprobatam confirment.

I. A et Palatini seruati sunt.

N 476, 25, Cas. I 41 *Ruri reddibo* ‖ N 483, 33, Cas. III 5, 22 *Quid — fuit?* ‖ N 539, 28, Epid. 230 *Linteolum caesicium* (Pal *caesitium* uel *cesitium*) ‖ N 540, 17, Epid. 232 *Basilicum aut exoticum* ‖ N 548, 8 et 540, 19, Epid. 233 *Cumatile aut plumatile* ‖ N 123, 29, Epid. 545 *Longa — animum* ‖ N 154, 30, Pers. 588 *Age — prognariter* ‖ N 468, 20, Pers. 689 *Lucro — auspicaui* ‖ N 422, 25, Pseud. 68 *Papillarum — oppressiunculae* ‖ N 11, 29, Stich. 369 *In — peruenit* ‖ N 322, 3, Trin. 197 *Iuxtaque — mea* ‖ N 423, 28, Trin. 345 *Pol — litteris.*

II. Palatini soli seruati sunt.

N 213, 6, Amph. prol. 1 *Ut — mercimoniis* ‖ N 38, 6 et 41, 23, Amph. prol. 123 *Versipellem — lubet* ‖ N 301, 27, Amph. 174 *Ergo — iniqua* ‖ N 393, 8, Amph. 239 *Nec — gerat* ‖ N 496, 8, Amph. 257 *Velatis — suum* ‖ N 178, 26, Amph. 313 *Quid — dormiat* ‖ N 179, 17, Amph. 444 *Sura — labra* ‖ N 362, 18, Amph. 527—28 *Illuc — republica* ‖ N 31, 21, Amph. 707 *Irritabis crabrones* ‖ N 159, 3, Amph. 727 *Delirat — est*; N 17, 32 *Delirat* (Gerl *Delerat*) *uxor* ‖ N 33, 31, Amph. 855 *Nunc — serio* ‖ N 148, 12, Amph. 900 *Inimicos — obtuerier* ‖ N 364, 5, Amph. 914 *Verum — tuum* ‖ N 460, 11, Amph. 1127 *Ut — expetam* ‖ N 375, 10, Asin. 63 *Posterius*

— *tibi* ‖ N 285. 17, Asin. 73 *Eos* — *patris* ‖ N 293. 2, Asin. 51 *Demiror* — *metu* ‖ N 83. 7. Asin. 78 *Quanquam* — *habet* ‖ N 24, 19, Asin. 159 *Ego* — *portorio* ‖ N 43. 18, Asin. 216 *Auceps* — *cibum* ‖ N 439. 15. Asin. 248 *Nam* — *sumam* (sic HP; Gerl *summam*) *fenore* ‖ N 532. 32. Asin. 258 *Unde* — *conferam?* N 414, 19. Asin. 264 *Aut* — *Saureae* ‖ N 350, 24, Asin. 304 *Ubi* — *complexae* (sic H: P Gerl *complexe*) *sunt* ‖ N 198, 21, Asin. 326—27 *Non* — *ducere?* ‖ N 44. 32. Asin. 391 *Clamat* — *ad se calcitronem.* (Quod Goetz et Loewe apud Nonium *ad sese* legi adnotant, id debetur Quicherati interpolationi) ‖ N 469. 31, Asin. 539 *Meum* — *contemples* ‖ N 454. 15. Asin. 649 *Auscultate* — *deuorate* ‖ N 255, 29, Asin. 668 *Prehende* — *labellis* ‖ N 438, 13, Asin. 784 *Neque* — *annuat* ‖ N 394, 30, Asin. 857 *Siccum* — *maxime* ‖ N 45, 9, Aul. 42 *Nam* — *uerberas* ‖ N 381, 10 et 395, 16, Aul. 45 *Tibi* — *seges?* ‖ N 217, 27, Aul. 75 *Probrum* — *appetit* ‖ N 454. 25, Aul. 79 *Nunc* — *domo* ‖ N 543, 22, Aul. 95 *Cultrum* — *mortarium* ‖ N 43. 4, Aul. 108 *Diuidere* — *uiros* ‖ N 476. 16, Aul. 116 *Adeunt* — *dexteras* ‖ N 45, 12 et 340, 23, Aul. 191 *Virginem* — *illocabilem* ‖ N 454, 29, Aul. 213 *Quid factis* — *improbis* ‖ N 433, 26, Aul. 239 *Dum* — *satis* ‖ N 496. 13, Aul. 245 *Abiit* — *mei* ‖ N 509, 9, Aul. 325 *Solet* — *coctum* ‖ N 5, 7, Aul. 355 *Quia* — *intellego* ‖ N 171, 32, Aul. 467 *Ubi* — *obcepit* (H[1] *obscepit*) — *ungulis.* (Quod Goetz apud Nonium *unguibus* legi adnotat, id debetur Quicherati interpolationi) ‖ N 342, 5, Aul. 535 *Dotat⟨a⟩e* — *uiros* ‖ N 279, 15, Aul. 575 *Ut* — *uiam* ‖ N 266, 17, Aul. 590 *In* — *capessere* ‖ N 543, 29, Aul. 622 *Mulsi* — *fideliam* ‖ N 455, 7, Aul. 624 *Non* — *manu* ‖ N 348, 19, Aul. 651 *Iam* — *huc* ‖ N 253, 33, Aul. 798 *Nam* — *cape* ‖ N 81, 33, Aul. 814 *Contollam gradum* ‖ N 552, 11, Capt. 796 *Nam* — *mihi* ‖ N 191, 24, Capt. 999—1000 *Verum* — *Acherons* (EJ *acherons*, B *achaeruns*, edd. *Acheruns*) — *fui* ‖ N 333, 10, Cas. II 3, 26 *Ubi* — *in lustra?* ‖ N 7, 9, Cas. II 3, 49 *Nam quid* — *cupis?* ‖ N 102, 18, Cist. II 2, 6 *In* — *diceret* ‖ N 510, 17, Curc. 126—27 *Hoc* — *auariter* ‖ N 40, 6, Epid. 39 *Supersede* — *face.* (Non recte Goetz hunc uersum e Nonio ita affert, ut personae notam *Ep.* ante *Tu* ponat; sane nusquam personarum notae apud Nonium ex-

tant) ‖ N 484, 13, Epid. 189 *Senati — cluent* ‖ N 499, 26, Men. prol. 47 *Propterea — facilius* ‖ N 9, 6, Men. prol. 50 *Ut — disputem* ‖ N 333, 31, Men. 85 *Anum — praeterunt* ‖ N 271, 27, Merc. 397 *Lignum c⟨a⟩edat — uapulet* ‖ N 421, 21, Merc. 854 *Cupido — es!* ‖ N 55, 18 et 239, 14, Most. 1—2 *Exi — argutias* ‖ N 108, 2, Most. 42 *Non — exotica* ‖ N 381, 2, Most. 108—10 *Tempestas — neuult* ‖ N 361, 26, Most. 225 *Atque — uita* ‖ N 104, 22, Poen. prol. 96 *Earum — perit* ‖ N 199, 14, Poen. 139 *Tris — bubulos* ‖ N 97, 14, Pseud. 767 *Cui — lenoniam* ‖ N 158, 26, Rud. 942 *Non — pecu?* ‖ N 306, 27, Rud. 1061—62 *Si quidem — facessas* ‖ N 70, 30, Rud. 1204 *Nimis p⟨a⟩ene — amatio [e]st* ‖ N 123, 32, Truc. 601 *Frendit — femur.*

Accedunt quattuor exempla, quorum quae in codicibus Nonianis seruata sunt frustula cum Pal consentiunt:

N 309, 27, Aul. 587 *Hoc est serui facinus* ** Excidit saltem adiectiuum *frugi,* ac fortasse posterior huius uersus pars tota *frugi, facere quod ego persequor,* cum oculi eius, qui archetypum codicum Nonianorum exarabat, a uoce *facinus* ad sequens lemma *Facinus] rursum scelus* aberrarent.

N 478, 28 *Volam] pro uelim — Plaut. in Asinaria: Atque audin etiam? uolam quoniam intus non licitum est mihi.* In quibus duo latent exempla, librariorum errore in unum contracta: Asin. 109 *Atque audin etiam? ⟨Ecce. Si quid te uolam* et Asin. 152 *Meo modo loquar quae⟩ uolam quoniam intus non licitum est mihi.*

N 548, 13, Aul. 514 *Molochinum] a graeco, color flori similis maluae. — Plautus in Aulularia institores molochini coloris* *m o l o c i n a r i o s* (sic Gerl; H *molochinarios,* P *molocinarias,* W *molicinarios*) *appellauit.* Excidit hoc exemplum: *Solearii adstant, adstant molocinarii.*

N 461, 26, Men. 350 *Reuocare pedem] — Et Plautus remos nauium* *p e d e s* *dixit.* Siquidem recte iudicauerunt homines docti, hic quoque excidit exemplum hoc: *Adseruatote haec sultis* (Pal *si uoltis*), *nauales pedes.* Certe errauit, ut saepius, Nonius uel eius auctor in uoce *pedes* interpretanda.

B. Multi sunt loci Plautini, quos homines docti nulla iusta causa adducti coniecturis temptauerunt, quorum forma eadem est in codicibus Plautinis atque apud Nonium:

I. A et Palatini seruati sunt.

N 87, 15, Pers. 534 *Quid? metuis? Metuo hercle uero: sensi ego ⟨iam⟩ complurie⟨n⟩s.* Ritschl *Ecquid metuis? Hercle.* Cf. similem horum locorum condicionem: Curc. 711 *Quid? negas? Nego hercle uero.* Mil. 324 *Quid? domi? Domi hercle uero.* Stich. 597 *Quid? foras? Foras hercle uero.* Multis aliis quoque locis Plautus in responsis ante *hercle uero* repetit id uerbum, quod in ea quae praecedit interrogatione maximam habet uim: Curc. 725, Ep. 688, 706—7, Men. 306—7, 515—16, 630, 821, Mil. 365—67, 829—30, Poen. 797, Pseud. 626, et sic negationem Cas. V 4, 14, Men. 618, Pseud. 326, Rud. 1372.

N 10, 4, Pers. 169 *Nimis tándem mé quidem pró barda ét pro rústica réor habitam ésse abs té.* Octonarium anapaesticum unanimiter ab A^s, Pal, Nonio (cum collaqueatione duarum extremarum uocabuli *rustica* syllabarum, quae anapaesticorum uersuum licentiam uix migrat) traditum Ritschl, cum septem primos huius scaenae uersus septenarios discripsisset, incertissima, quae ipsi uidebatur, coniectura temptauit hac: *Nimis tandem me quidem pro barda et blenna reor habitam esse aps te,* uerba *pro rustica* uetus glossema esse ratus. Fidelius codicum uestigia secutus Spengel (R. V. p. 386) primos septem huius scaenae uersus septenarios et octonarios inter se mixtos dimensus est. Multas autem scaenas simili modo acatalectis et catalecticis tetrametris anapaesticis aut alternantibus aut pro lubitu mixtis compositas esse iam Studemund monuit („de cant. Plaut." p. 53). Eosdem septem uersus omnes octonarios anapaesticos esse Mueller (Pros. p. 87 adn. 2) censet.

N 396, 32, Poen. 855 *Ut enim, ubi mihi uapulandum sit tu sorium (corium) sufferas.* Mueller (Pros. p. 27) cum Gepperto *mihi ubi.* Goetz et Loewe *ubi mihi* seruauerunt

N 227, 19, Pseud. 152 *Nunquam edepol uestrum durum (durius) tergum erit quam hoc terginum meum.* Ritschl cum

Bothio *dúrius uóstrum*; rectius Lorenz, Ussing, Spengel traditam uerborum collocationem seruauerunt.

N 394, 30, Pseud. 183—84 *Vino modo cupidae estis: Eo — siccus* ‖ N 500, 17, Pseud. 183 *Vino modo cupid⟨a⟩e [t]estis. estis* omiserunt Ritschl et Lorenz, dubitanter seruauit Spengel R. V. p. 330 (octonario anapaestico hypercatalecto constituto).

N 192, 10, Stich. 348—49 *Ut operas araneorum tergam et texturam improbem Deiciamque eorum omnes telas.* Cum *improbem* non solum in A^s sit, sed etiam in B, casu uidetur factum esse, ut in C *improbam*, in D *improbam* (ex *improbum* correctum, ut uid.) extet, quod receperunt Ritschl, Fleckeisen, Goetz. Nec tamen quicquam mutemus necesse est, cum uerba *ut — texturam improbem* collato Mil. u. 1174 *(si tibi — opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas)* ita explanari possint, ut Pinacium per iocum se munus texendi, quo fungantur araneae, non probare significet, idque deinceps explicetur uerbis *Deiciamque eorum omnes telas.*

N 533, 23, Stich. 366—68 *Quum (Dum) percunctor portitores, et quae (ecquae) nauis uenerit Ex Asia: negant uenisse: conspicatus sum interim Cyrcerum (Cercurum) — censeo.* Ritschl *Asia, ⟨ac⟩ negant.* Particulam *ac* non desiderari Goetzio assentior.

N 486, 24, Trin. 545—46 *Credo — Campans genus Multo Surorum iam antidit patientia.* Ritschl (parerg. p. 340) eumque secuti Schoell et Brix *patientiam,* quod grammatica ratione flagitari Ritschl censet, scripserunt; Klotz ann. phil. t. 87 p. 628 et Spengel lectioni traditae patrocinati sunt. Plautum semper *antideo alqm alqa re* ac ne semel quidem *antideo aliquam rem alcuius* dixisse haec exempla ostendunt: Bacch. 1089 *(Solus ego omnes longe antideo stultitia et moribus indoctis),* Cas. II 3, 9 *(munditiis Munditiam antideo),* Cist. II 1, 3 *(Qui omneis homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi).* Accedit, quod etiam Diomedes (Gr. L. I 313, 18) *patientia* tradit. Ellipsis substantiui *genus* ad *Surorum* ex uersu antecedenti supplendi nescio an defendi possit respectis eis, quae disputauit Holtze synt. I p. 342; cf. Poen. 1062—63

Ecquid meministi tuom parentum nomina? Patris atque matris memini.

II. Palatini soli seruati sunt.

N 43, 12, Amph. 179 *Hic qui uerna natus est qu[a]eritur.* Ritschl (parerg. p. 383) trimetrum bacchiacum acatalectum in uocabulum choriambicum parum eleganter exeuntem constituit: *Hic quí uerna nátust* ⟨*con*⟩*quéritur.* Studemund („de cant. Plaut." p. 36) cum Bothio ex tradita forma quaternarium trochaicum elicuit.

N 128, 21, Amph. 245 *Cum clamore inuolant impetu alacri.* Goetz et Loewe Hermannum secuti tetrametrum creticum acatalectum dederunt adiecto in fine *ruont* uerbo. Studemund (l. c. p. 21) uerba tradita tamquam dimetrum creticum et dipodiam trochaicam dimensus est.

N 198, 31, Amph. 537 *Cul est (Quale est)] pro qualis est, neutro positum pro masculino. Plaut. Amph.: Edepol condignum donum culest (qualest) qui donum dedit.* Pal: BD *quale est,* EJ *qualis est.* Nonius igitur formam *quale* pro *qualis* usurpatam esse confirmat: quam formam improbauit Ritschl (op. II p. 617), defendit Buecheler (mus. Rhen. XXIX 196); receperunt *qualest* Goetz et Loewe.

N 153, 17, Asin. 133 *Permities* (sic LW; H *Permitiis*)] *periculum, exitium. — Plaut. Asin.: Pellecrebre (Perlecebrae), permitiis (permities).* Pal: BD^1E *permities,* J *permicies,* D^3 *pernities* ex *permities.* Editores dederunt *pernicies.* Formam *permities* defenderunt Corssen („Aussprache" II p. 422, „Krit. Beitr." p. 266 seq.) et Bergk („Beitr." I p. 154 seqq.).

N 3, 5, Asin. 307 *Velitatio] — Verbis uelitationem fieri compendi uolo.* Meursii coniecturam *Verbiuelitationem* amplexi sunt Fleckeisen, Goetz et Loewe. Ego assentior Ussingio, qui in adnotatione ad h. l. et ad Amph. 515 substantiua uerbalia apud Plautum saepe uerborum modo construi scite monuit.

N 217, 27, Aul. 276 *Nunc probrum atque partitudo prope adest.* Pal: BD cum Nonio *Nunc,* J *Nam. Nam* recepit Ussing neque improbat Goetz. Quamquam sententiarum

conexum hac particula recepta magis perspicuum effici non nego, tamen *Nunc* seruandum esse puto, cum haec particula per anaphoram repetita optime quadret in sermonem anus mala futura animo praecipientis (uu. 275—77).

N 151, 32, Aul. 312—13 *Quin ipse (ipsi) quidem (pridem) tonsor ungues de⟨mp⟩serat: Collegit, omnia abstulit praesegmina* || N 273, 27 *Quin ipse (ipsi) pridem — praesegmina.* Goetz cum Seyfferto non male *Quin ⟨quom⟩ ipsi.* At non necessario *quom* addendum arbitror collatis enuntiatis in uu. 316—19 ἀσυνδέτως sese excipientibus.

N 481, 33, Capt. 164 *Iam maritumi omnis milites opus sunt tibi.* Fleckeisen et Brix *Tum maritumi. Iam* ferri posse puto, quippe qua particula usi Latini ad maiora et eximia adscendere soleant: cf. Hand Turs. III p. 148, 28.

N 335, 7, Capt. 426 *Id ut scias, Iouem supremum testem laudo, ⟨H⟩egio.* Fleckeisen dedit *uti*; Mueller Pros. p. 211 (qui p. 374 locum incertum esse contendit) et Brix *ut* tutantur.

N 157, 28, Capt. 655 *Nuculeum amisi, reliqui pigneri putamina.* Editores *retinui.* At *relinquere* similiter idem quod *reliqui facere* significat Curc. 387 *(Et quidem reliqui in uentre cellae uni locum).*

N 421, 13, Curc. 3 *Quo[d] Venus Cupidoque imperat suadetque Amor.* Goetz Pyladem secutus *inperant.* Seruius quoque (ad Aen. IV 194) singularem tradit: quem recte seruauerunt Fleckeisen et Ussing.

N 8, 15, Curc. 613 *Quod argentum, quas (quasi* P Gerl*) tu mihi tricas narras?* Ritschl (prol. CXXXVI in adnot.) Bothium secutus *Quod tu argentum, quas mihi* commendat. Goetzium recte traditam lectionem seruasse opinor; non quasi corripiatur prima uocabuli *argentum* syllaba, sed, quod saepe fit in prima septenariorum trochaicorum thesi, collaqueantur syllabae breuis et longa *(Quŏd ārgentum)*; neque apte *tu* a *mihi* dirimitur.

N 476, 8, Merc. 864—65 *Tutant] Plautus in Mercatore: Inuoco Vos, lares diales (uiales), ut me ⟨bene⟩ tutetis.* Pal: CD *tutetis,* B *uiuetis,* unde profectus iam Camerarius sollerter *iuuetis* proposuit. At cf. Merc. 835 *Vobis mando, meum*

parentum rem bene ut tutemini. De forma actiua *tuto* cf. Neue II p. 325 seq.

N 456, 30, Mil. 631—32 *Si — senes (senex). Inest in hoc emeusietas* (uel *emeussiactas*; pro *emussitata*) *sua sibi ingenua indoles* ‖ N 9, 6, Mil. 632 *Inest in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles.* Pal *emusitata.* Ritschl et Lorenz *amussitata*; contra Ribbeck et Brix *emussitata* seruauerunt, item Loewe (prodr. p. 284), quamquam hanc formam nondum explicatam esse concedit; nam apud Festum (Pauli) quoque (p. 76, 8) *emussitata] ad amussim facta* extat, et apud Placidum (p. 42, 5) *emussitatos] ad amussim exactos.*

N 306, 13, Mil. 1106 *Et quid (Ecquid) fortis uisa est?* Pal: B *et quid*, CD *ecquid.* Ritschl *ecqui*, cum paulo post (u. 1111) in codicibus sit *Quid is, ecqui* (B *aec qui*, C *et qui*) *fortis?* Ego utroque loco cum Lorenzio et Brixio *ecquid* scribendum esse censeo. Nam interrogatio directa ubicunque incipit ab hac particula, traditum est *ecquid*, praeter Mil. u. 1111 (cuius uis infringitur uersu 1106) et Pseud. 370 (Pal *ec quite pudet*; sed A^s *KAECQUIDTE* = *ecquid te*). Truc. 584 autem *Ecqui auditis* debetur Schoellii coniecturae (codd. *Hec* [CD *Haec*] *quid auditis*). Idem ualet de interrogatione indirecta: Bacch. 1084—85 *Mnesilochum — Viso ecquid eum* (sc. filium) — *conpulerit*; Most. 907 *Ecquid place⟨a⟩nt me rogas?*; Mil. 993 *subauscultemus haec quid* (sic B, = *ecquid*; CD *ecqui*) *de me fiat mentio*; Aul. prol. 16—17 *Coepi obseruare, ecqui maiorem filius Mihi honorem haberet*, sed N 320, 13 *et quide* (= *ecquid*). Stich. 32—33 autem *ecqui bene agant, Neque participant nos neque redeunt* perperam scripsit Ritschl; codd. *ecquid agant.*

N 305, 11, Mil. 1322—23 *Ferox] significat cordatus uel facetus. Plaut. in Mil. glor.: Nam tu quemuis potissis (potis es) facere ut ⟨a⟩fluat facetiis, Et quia tecum eram, propterea animo (nimio) eram ferocior.* Pal: CD *ferotior*, B *fortior.* Ribbeck scripsit *facetior*, quod post uersum antecedentem (*ut afluat facetiis*) parum apte stare puto, cum *ferocior* optime in hunc locum quadret; cf. Most. 890 *Ferocem facis, quia te erus tuus amat.*

N 397, 20, Poen. prol. 88—90 *Vendit eas crinis (omnis), et nutricem et uirginis (uirgines), Praesenti — sacerrimo.* Geppert *Venditque eas*; *que* non desiderari Goetzio et Loewio assentior.

N 511, 10, Rud. 263—65 *Sed unde Vorsire (Vos ire) cum uuida ueste dicam obsecro, Tam — uestitus (uestitas)?* Fleckeisen *Puéllae. set únde* ⟨*huc*⟩; Spengel (R. V. p. 230) omittit *huc*.

N 210, 20, Stich. 721 *Age tibicen, quando bibisti, refer ad labeas tibias.* Bothe et Ritschl, ut dactylum *quāndŏ bĭ(bisti)* euitarent, *quom bibisti* dederunt. Contra Petrus Scherer „de particulae *quando* ap. uct. script. Lat. ui et usu" (in Studemundi Stud. II p. 114 seq.) traditam lectionem defendit, quam Goetz quoque tutatus est.

N 525, 20, Trin. 166—68 *Quia ruri dum sum ego unos sex dies Me — litteris.* Pal *dum sum* (om. B) *ego.* Ritschl et Schoell cum Kochio *dum ego sum.* Spengel et Brix traditam lectionem seruauerunt (cf. Brix in append. crit.).

De his locis dubitari posse concedo:

N 262, 6, Asin. 547 *Scapularum confidentia, uirtute ulmorum freti.* Saracenus non ineptam sententiam restituit genetiuo *[h]umerorum* (uel *armorum*) pro *ulmorum* substituto, quamquam umerorum mentio in seruorum punitione minus exspectatur; Ussing parum probabiliter *spreta* pro *freti,* uel (Nonii explicatione *Confidentia] duritia, patientia* abusus) *Scapularum confidentia in uirtutem ulmorum freti* maluit. Res incerta est, cum praesertim ea quae sequuntur lacunosa sint. Fleckeisen atque Goetz et Loewe in tradita lectione acquieuerunt.

N 152, 7, Aul. 701—2 *Pici diuit*⟨*i*⟩*is, qui aureos montes colunt, Eos solus supero.* Concedo in ablatiuo *diuitiis* nimis magno spatio ab enuntiato ad quod pertinet *Eos* (uel *Ego,* quod est in Pal) *solus supero* dirempto offendi posse, quamquam licenter uerba a Plauto saepius traiecta esse nuper monuit Brix (ann. phil. t. 131 p. 202). Audacius Fleckeisen (ann. phil. t. 101 p. 459) coniecit *Pici Ripaeos qui aureos m. c.* Goetz traditam lectionem seruauit.

Postremo eos locos afferam, qui, quales hodie in codicibus Nonianis leguntur, non cum Palatinis congruunt, nihilo tamen secius, quoniam grammaticorum uel librariorum tantum culpa corrupti sunt, Palatinorum lectionem confirmant:

N 72, 21, Men. 859 *Nisi dedolabo assulatim uiscera.* Ritschl audacter dedit *(hunc senem Osse) tenus dolabo* ⟨*et concidam*⟩ *assulatim uiscera.* Contra Brix codices Plautinos, quorum auctoritas augetur Noniana lectione quamuis corrupta et obscurata, secutus: *hunc senem Osse fini dedolabo· assulatim* ⟨*ei*⟩ *uiscera.* Saepius genetiuus uel ablatiuus a *fini* uel *fine* idem quod *tenus* significante pendet, cuius usus exempla collegit Neue I p. 219 seq.; uide etiam Woelfflinii „Archiv“ I p. 424.

N 89, 16, Men. 960 *Neque ego insanio neque pugnas ne*⟨*que ego*⟩ *litis coepio.* Ritschl et Brix *pugnas ego nec litis.* Subiectum ἀπὸ κοινοῦ in Pal collocatum defenditur e. g. Persae u. 525 *Mancupio neque promittet neque quisquam dabit.*

N 176, 26, Merc. 10 *Sed eam simplicitus (ut sim implicitus) dicam, si opera est (operaest) auribus.* Goetz *ea ut sim inplicitus.* Non uideo, cur accusatiuus *eam* a *dicam* pendens non eadem ratione defendatur, qua Becker (in Studemundi Stud. I 174) Mercatoris u. 892 sic restituit: *Obsecro te* ⟨*e*⟩*loquere* ⟨*amicam*⟩ *ubi sit*; Goetz (ex parte cum Ritschelio) dedit: *Obsecro te,* ⟨*e*⟩*loquere* ⟨*propere eam*⟩ *ubi sit*; ubi quam praue Ritschl *ea* scripserit, docet Becker l. c.

Appendix.

Restat ut ea exempla, quae apud Nonium perinde atque in codicibus Plautinis, quibus hodie utimur, hiatum exhibent, enumerem. Hiatus enim licentia quatenus pertinuerit apud Plautum, nondum constat.

I. A et Pal seruati sunt.

a) Hiatus traditus est in caesura principali:

N 499, 7, Truc. 137 *Quia tu*⟨*ó*⟩ *uestímento ét cibó | aliénis rébus cúras.* Bothe *cibo*⟨*d*⟩; Reiz *rebus alienis.*

N 406, 4, Rud. 533—34 *Utinam — terent (uterer Ut) cum éxi⟨uí⟩ssem | éx aqua ⟨á⟩rerém tamén.* Fleckeisen *Ut⟨í⟩ quom exí⟨ui⟩ssem.*

N 468, 20, Stich. 502 *Ea⟨m⟩ ego aúspicáui | ín re cápitalí meá.* (In A uocula *Eam* deest.) Ritschl et Goetz cum Acidalio *Eam aúspicáui ego ín re.*

b) Hiatus traditus est in caesura secundaria:

α) aut in caesura hephthemimere aut in caesura ante ultimum creticum:

N 34, 29, Mil. 4 *Praest⟨r⟩íngat óculorum áciem | in acie | hóstibús.* (Idem exemplum redit N 373, 31.) Ritschl (prol. CCVI) *áciem ⟨acri⟩ ín acie*; Brix et Ribbeck *áciem in ácie⟨d⟩*, ad quorum sententiam proxime accedunt Lorenz et Buecheler (Lat. Dekl. ed. I p. 48). Etiam Priscianus (Gr. L. III 421, 25) hiatum tradit.

β) in caesura ante ultimum creticum:

N 406, 4, Rud. 533—34 *Utinám fortúnam núnc anatínam* (sic P) | *terent (úterér Ut) cum — tamen.* A[s] et Pal *fortuna — anetina.* Fleckeisen dedit *fortúnam núnc ⟨ego⟩ ánatinam*; Ritschl (Neue Plaut. Exc. p. 69) commendauit *anetína⟨d⟩.*

γ) in caesura ante ultimum creticum et ante nouae personae uerborum initium:

N 52, 27, Poen. 1111—12 *Sed — expedi. Statúra non (hau) mágna, córpore áquil[in]o. | Ípsa e⟨á⟩st. aquilino* Nonius mero errore, *aquilo* codd. Plaut. Apud Gellium (XIII 30, 6) hiatus *est* adiecto *(aquilost)* sublatus est: quod receperunt Goetz et Loewe.

c) Hiatus traditus est in alia uersus sede:

α) in uocalium aequalium confinio:

N 497, 5, Men. 223 *Nám parasítus ócto | hóminum múnus fácile fúngitúr.* Ritschl cum Mureto *ócto múnus hóminum,* Brix *ócto homónum múnus.*

β) in uocalium inaequalium confinio post *-m*:

N 331, 26, Pseud. 319 *Úna opera allicem (álligém) fugitíuum cánem | agn⟨ín⟩is láctibús.* Editores transposuerunt uerba *fugitiuum* (A[s] et Pal *fugitiuam*) *canem.*

II. Palatini soli seruati sunt.

a) Hiatus traditus est in caesura principali:

N 175, 15, Amph. 631 *Simitu] simul — Plaut. Amph.: Nón ego cúm uinó simítu | ébibi ímperiúm tuúm.* Etiam glossarium Plautinum (Gr. L. III p. 59, 9) *simitu*; pro quo *simitur,* quod Ritschl (op. II 258 et IV 249 seq.) proposuit, receperunt Goetz et Loewe. Hanc formam Ritschl ex duabus inscriptionibus elicuit, in quarum altera Mommsen C. I. L. X n. 174 exhibet *SIMitVR,* in altera (apud Orellium 2863, tempore Augusti imperatoris exarata) *simitur* traditum uidetur esse. Cuius formae uestigium codices Plautini nullum seruauerunt; uide locos Plautinos, ubi *simitu* occurrit, congestos a Brixio (ad Trin. 223).

N 148, 9, Amph. 673 *Ní ego illí puteó, si occépso, | ánimam omnem íntertráxeró* ‖ N 233, 9 *Ní ego illí puteo si [h]occeps[i]o, | animam omnem intertraxero* ‖ N 410, 11 *⟨Ní⟩ ego illí puteo, si occepso, | animam omnem intertraxero.* Traditam formam seruauerunt Fleckeisen et Ussing; Goetz et Loewe maluerunt horridos accentus hos: *Ni égo illi púteo sí ⟨semel⟩ óccepso.*

N 88, 22, Amph. 978—79 *Fac iam 'Amfitrióne⟨m⟩ | áduenientem ab aédibús Ut abeat (abigas) — si[e]s.* Pal *Fac amphitrionem.* Fleckeisen, Goetz et Loewe cum Lambino *Fac 'Amphitruónem iam.*

N 109, 9, Asin. 320 *Si ístam fírmitúdinem ánimi | óptinés, saluí sumús.* Fleckeisen, Goetz et Loewe cum Bothio *istanc* et praeterea cum Pylade *animi firmitudinem* scribere non dubitauerunt.

N 3, 5, Men. 778 *Néscio quíd uos uélitáti | éstis ínter uós duó.* Traditam formam editores probauerunt.

N 382, 31, Asin. 778 *Spectándum nec uia ullum (né cui | ánulúm) det néque rogét* ‖ N 402, 17 *Spectándum ne cuia nullum (né cui | ánulúm,* et sic Gerl) *det néque rogét.* Pylades, Ritschl, Goetz et Loewe *né quoi⟨quam⟩.*

N 138, 27, Aul. 703 *Memoráre nólo, | hóminum méndicábulá.* Goetz cum aliis *regum mendicabula.* Verba *hominum mendicabula* recte explicauit Langen Beitr. p. 155. Aliter iudicat Draeger synt. I p. 467.

N 455, 10, Men. 89 *Apud ménsam plénam | hóminis róstrum deligis (déligés).* Ritschl *plénam ⟨tu⟩ hóminis,* Fleckeisen *plénam ⟨tu⟩ hómini*; Brix *plénam homóni.*

N 397, 20, Poen. prol. 88—90 *Vendit — uirginis (uirgines) Praesénti argénto | hómini, sí lenó est homó Quantum — sacerrimo.* Hiatum Geppert seruauit, Goetz et Loewe cum Muellero (Pros. p. 501) *Praesénti ⟨ibi⟩ árgento,* alii alia temptauerunt.

N 392, 13, Poen. 791—93 *Eheú! quam ego hábui | ásiolós arúspicés! Qui[a] — est.* Geppert, Goetz et Loewe *hábui ⟨hos⟩ áriolós.* [Debebant saltem *hosce* scribere].

Certo iudicari non potest de exemplo N 552, 11, Curc. 690 *'Atque ita té neruó torquébo | ⟨ítidem⟩ ut cátapultaé solént.* Hoc Goetz seruauit, Mueller (Pros. 554) *torquébo ⟨hodie⟩ ítidem ut.*

b) Hiatus traditus est in caesura secundaria:

N 343, 28 et 423, 19, Men. 19—21 *Ita fórma símili púeri | út matér suá Non — pepererat.* Camerarius, Ritschl, Brix probabiliter emendauerunt *ut⟨í⟩.*

c) Hiatus traditus est in alia uersus sede:

α) in uocalium aequalium confinio:

N 528, 21, Amph. 462 *Út ego | hódie ráso cápite cáluus cápiam pílleúm.* Camerarius *Út ego ⟨hic⟩ hódie*; Spengel et Ritschl *Út ego ho⟨cé⟩die*; Ussing (in comment.) *Út ego ⟨hoc⟩ hódie.* Fleckeisen, Goetz et Loewe *Út ego ráso cápite cáluos hódie.*

β) in uocalium inaequalium confinio:

N 349, 30, Asin. 592 *Valé. | Aliquánto | ámpliús ualérem, si híc manéres.* Fleckeisen *Valé. ⟨Pol⟩ áliquanto*; Ussing (in comment.) *Valé . Aliquánto ⟨ego⟩*; Bothe *Valé. Aliquánto⟨d⟩*; Goetz et Loewe non male *⟨Mane sís.⟩ Vale. 'Aliquanto.*

N 4, 2, Asin. 706 *Demam hércle iám de | hórdeó, tolútim ní badízas.* Pylades, Fleckeisen, Goetz et Loewe non male *iám ⟨tibi⟩ de hórdeó.*

N 219, 4, Bacch. 50—51 *Qui⟨a⟩ enim intelligo Dúae | unum éxpetitís palúmbem.* Ritschl *Dúae ⟨me⟩ unum*; Fleckeisen exercit. Plaut. p. 15 alia temptauit. Verba *Duae unum* delet Goetz.

N 510, 23, Pers. 255—56 *Quam (Quom) méo | amíco amícitér hanc cómmoditátis cópiám Danunt.* Pal *Quia méo amíco* uel *Quiá meo amíco.* Ritschl *Quoniám meo amíco,* Spengel (R. V. p. 388) *Quom ⟨iám⟩ meo amíco.*

Certo iudicari non potest de his exemplis, in Nonii codicibus corruptis:

N 317, 31, Aul. prol. 5 *Patriabo iam huius qui nunc hic habet.* Pal *Patrí | auóque,* quod defendit Lachmann (ad Lucret. p. 195). Idem Nonium scripsisse magis ueri simile est quam quod Wagner et Goetz cum aliis recte emendauerunt *Patrí⟨que⟩ auóque.* Mueller (Pros. p. 512 in adnot.) alia commendauit.

N 135, 7, Cas. II 3, 29 *Únde es (is) níhil⟨i⟩? | úbi lustretur ibi bibatur.* Pal *níhili? úbi fuísti? úbi lustrátus? úbi bibísti?* Gepperti coniectura *nihili ⟨homo⟩* certe eis, quae apud Nonium seruata sunt, quamuis corruptis, non confirmatur. Fortasse hiatus post *nihili* non statuendus, sed *níhili? ubí* pronuntiandum est.

Singularis est res in exemplo N 233, 2, Asin. 894 *An foétet* (II Gerl *fetet*) *ánima túae | uxóri?* Versus quadratus in Pal est hic: *Díc amábo an foétet* (BE *fetet,* D *faetet*) *ánima | úxorís tuae? Naúteám.* Pal igitur hiatum in diaeresi tradunt, Nonius post *tuae.* Id quidem persuasum habeo, parum felici emendatione Goetzium et Loewium uersum sic constituisse: *Díc amábo an foétet ánima uxóris? Fúfae: naúteám,* cum praesertim uxor, quae sermonem mariti cum meretrice potantis aucupatur, postea (u. 928) ipsius uerba cauilletur, cum eum interroget: *anima foetetne uxoris tuae?*

CAPUT ALTERUM.

Capite altero ea exempla Noniana complectar, quae in codicibus Plautinis librariorum erroribus corrupta ex Nonio uel certe Nonio adiuuante corrigere licebat.

I. A et Pal seruati sunt:

A. Nonius confirmat codicis A scripturam, ubi Pal deprauati sunt.

N 6, 24, Cas. II 2, 4 *Caluitur] dictum est frustratur* e. q. s. *Plaut. in Cas.: Nam ubi domi sola sum, soror (sopor) manus caluitur.* Pal BEJ *manu scalpitur* (in B post *c* erasum est *l* uel *i*) ‖ N 508, 10, Epid. 151 *Quid illa fiet — aliqua res reperibitur* (P Gerl *repperibitur*). Pal *re* ‖ N 539, 15, Epid. 230 *Ralla] uestis dicta a raritate. Plaut. in Epid.: Tunicam rallam, tunicam spissam.* Pal: BJ *raliam* (in B *li* ex *bi* corr.), E³ *rallam* ex *ralia* ‖ N 97, 10, Mil. 17 *Cuius tu legiones — spiritu.* A^s *LEG(iones)*; Pal *egionis* ‖ N 203, 4, Mil. 397 *Timeo quid — gesserim — prurit.* Pal *gesserit* ‖ N 146, 12, Mil. 1171 *Quasi — reuerearis.* Pal: B *reueris*, CD¹ *reuearisre(t simul)*, D³ *reuearis (et simul)* ‖ N 549, 4, Mil. 1179 *Palliolum — nam is colos thalassicus est.* Pal: B *siccolost alassicus*, C *isisco lost talassicus*, D¹ *isis colost alassicus*, D³ *is est color talassicus.* Codicum CD scripturae ratione habita dubitari uix potest quin *is*, quod errore iteratum erat, coniectura praua in B mutatum sit in *sic* ‖ N 305, 11, Mil. 1322—23 *Nam — ut ⟨a⟩fluat facetiis — ferocior.* Pal *facetis* ‖ N 137, 20, Poen. 393 *Mammeata[m]] mammosa[m]. Plaut. in Poen.: Cuius (Huius) amica[m] mammeata[m].* Pal *mammiata* (B *[amica]m ammiata*) | N 258, 9, Poen. 579 *Quid — aprunum — sinam.* Pal *apugnum*; A^s *(ap)RU(g)-NU(m)* ‖ N 423, 28, Pseud. 281—82 *Nimio — piget Non dedisse istum pudet — piget.* Pal *dedissetis tum*; A *dedisse istunc* ‖ N 27, 22, Pseud. 989 *Putus] — Purus putus est ipsus.* Pal *mutus* ‖ N 509, 24, Stich. 241 *Disertim] — Fuit disertim, — perdidi.* Pal: B *disertum*, CD *desertum.* Cf. Ritschl op. II 269, Fest.-Paul. p. 72, 17 ‖ N 192, 10, Stich. 348 — 49 *Ut — improbem Deiciamque — telas.* Pal: B *De hic iamque*, CD *dehinc iamque* ‖ N 486, 24, Trin. 545—46 *Credo — patientia.* Pal *patlentia* ‖ N 476, 33, Truc. 138—39 *Ego expedibo Rem perdidi apud uos.* Pal: CD om. *ego.* B *expediuo.* Praeterea uerba *apud uos* in Pal desunt ‖ N 217, 27, Truc. 196 *Horresco misera mentio quod (quotiens) fit partionis.* Pal *Horrisco — sentio — parationis* ‖ N 89, 16, Truc. 232 *Dum — coepiam (coepiat).* Pal *caepiat* ‖ N 98, 23, Cas. IV 4, 5 *Noctuque et diu — sis.* In Pal *Noctuque* excidit.

B. Nonius confirmat Palatinorum scripturam, ubi A deprauatus est.

N 102, 33, Epid. 582 *Atque ⟨argentum⟩ egurgitem domo prorsum.* A[s] *(egurgi)TE* lectione incertissima || N 497, 5, Men. 223 *Nam parasitus octo hominum munus facile fungitur.* A[s] *nunc* pro *munus* || N 177, 11, Pers. 347—48 *Sublestum] est leue, fribolum* (*friuolum* H[1]). *Plautus: Nam — Paupertas — fides sublestior.* A *subtestior* || N 10, 12, Pers. 408 *Impure — labes pop[u]li,* N 446, 31 *Iniure — labes pop[u]li.* A[s] *tabes.* Quod quamquam ita ferri potest, ut significet „pestis populi", tamen mero mendo pro *labes* exaratum uideri (aeque atque in A[s] est Pers. 348 *subtestior* pro *sublestior,* Pseud. 319 *tactibus* pro *lactibus* etc.) Ritschelio concedo, cum praesertim *labes* etiam a Festo Pauli commendetur (p. 121: *Labes] macula in uestimento dicitur, et deinde μεταφορικῶς transfertur in homines uituperatione dignos*); cf. etiam Cicero Verr. act. I § 2 *adduxi — hominem — labem atque perniciem prouinciae Siciliae* || N 407, 11, Poen. 500 *Omnis extollo ex hoc die in alium diem.* A[s] om. *ex* || N 184, 28, Pseud. 70 *Distractio — uastities uenit.* A[s] *AU(stitie)S* || N 20, 10, Pseud. 138—39 *Rape, clepe, ⟨tene⟩, ⟨h⟩arpaga.* A[s] om. *clepe* || N 394, 30, Pseud. 183—84 *Vino — quum ego sim hic siccus.* A[s] *si mihic* || N 331, 26, Pseud. 319 *Lactes] dicuntur intestina. — Una opera — lactibus.* A[s] *tactibus* || N 468, 20, Stich. 502 *Ea⟨m⟩ ego auspicaui in re capitali mea.* A[s] *auspicabi — capitati* || N 54, 9, Trin. 194 *Posticulum hoc recepit* (sic etiam N 384, 10) *quum — uendidit.* A[s] *recipit — uendedit* || N 484, 26, Trin. 250 *Sumpti] pro sumptus. Plaut. Trin.: Quod — quod facit sumpti.* (Idem exemplum extat N 81, 9.) A[s] *sumptui.* Cf. Cas. II 7, 2 *(Et praeter operam restim sumpti fecerim)* || N 304, 19, Trin. 467 *Vostras — opes.* A[s] *opus* || N 486, 24, Trin. 545—46 *Credo — Campans genus Multo — patientia.* A[s] *Campanis* uel *Campanes.* Pal *Campas* littera nasali *n* non expressa, cf. Ritschl op. II 715.

C. Paulo uberior ex Nonio redundat fructus, ubi et A et Pal corrupti sunt:

N 291, 13, Capt. 1009 *Exigere] significat agere. Plaut. Capt.: Salue — aerumnam exigo.* Pal: B *exiguo* (sed EJ recte *exigo*); A[s] —*GUO* ‖ N 10, 31, Pers. 421 *Lurcones] — Perennis — lurco, edax — fugax.* A[s] *lyrche edax;* Pal *lur chedax* (D[3] *lurche edax*) ‖ N 479, 16, Pers. 308 *Conscreabor]. Plaut. in Persa: Sed — Magnifice conscreabor.* A[s] *concreabo* —; Pal: BC *constabor,* D *contestabor* ‖ N 501, 4, Pseud. 5—6 *Duorum — lubens Me interrogandi (Mei te rogandi) et tui respondendi* (P *et uirespondendi*) *mihi.* A[s] *etuirespondendi,* Pal *et te respondendi.* Et a mendosa Palatinorum scriptura et a scriptura *(et uitis* uel *et tuitis* uel *et intis)* codicum Gellii, qui (l. XX 6, 8—9) de *mei* genetiuo pronominis *ego* disputans hos duos uersus laudat, profectus Ritschl cum aliis hominibus doctis emendauit: *et tis*; sed cum Gellius quoque scripserit *mei* et *tui,* formam *tis* non omni dubitatione exemptam esse puto.

Hi uersus, et in A et in Pal librariorum errore perturbati, ex Nonio quamquam ipso quoque erroribus deturpato restitui potuerunt: N 415, 20, Mil. 728—29 *Quae improba est mers pretium eis statuis pro uirtute ut neuiant, Quae improba est pro mercis uitio dominum pretio pauperat.* (Gerl posteriorem uersum non exhibet, P om. uerba *pro — pauperat*) ‖ N 157, 4, Mil. 729 *Quae improba est pro mercis uitio dominum pretio pauperat.* Recte de his uersibus et de u. 727 egit Spengel („T. Maccius Plautus" p. 37), qui Nonii reliquiis et codicibus Plautinis usus [quorum A[s] haec habet: *Sicut merci pretium statuit qui est probus agoranomus Quae proba est pro mercis uitio dominum pretio pauperet,* Pal haec: *Sicuti merci pretium statuit pro uirtute ut ueniat Que improba si pro mercis* (B *mercedis*) *uitio dominum pretio pauper erit*] hos uersus Plauto restituit: *Sicut merci pretium statuit qui est probus agoranomus, Quae probast mers, pretium ei statuit, pro uirtute ut ueneat: Quae improbast, pro mercis uitio dominum pretio pauperet.* Quorum uersuum alterum et tertium exhibet Nonius ita, ut praeter ceteras corruptelas in priore uersu ex posteriore *improba* pro *proba* librariorum errore substitutum sit. Brix

et Lorenz Spengelium secuti sunt, Ribbeck maluit: *Quae probast et pretio digna, pro uirtute ut ueneat.*

II. Aliquanto maius lucrum affert Nonius ad eos locos emendandos, qui in Palatinis solis seruati sed corrupti sunt.

N 230, 32, Amph. prol. 108 *Usuramque — cepit* (sic Quich.; sed Gerl *coepit*) *sibi.* Pal *coepit* ‖ N 369, 23, Amph. 592 *Quo id, malum, pacto potest nam — putet (puta).* Pal *potes.* (Sequitur in u. 593 *Fieri,* a *potest* pendens) ‖ N 44, 11, Amph. 626 *Qui — blatis.* Pal *blattis* ‖ N 439, 5, Amph. 676 ⟨*Amphitrio*⟩ *uxorem salutat — suam.* Pal: DE *salutet,* J *salutet* (*uel tat* s. u.), B *salutat* (*at* in litura) ‖ N 148, 9, Amph. 673 *Ni ego — si occepso — intertraxero. occepso* recte Nonius habet etiam 410, 11. Pal *occepto.* De intensiuo *occepto,* quo Plautus aliquotiens usus est, hoc loco propter sequens *intertraxero* cogitari non potest ‖ N 44, 17, Amph. 710 *Qui istuc in mente⟨m⟩ est tibi ex me, mi uir, percontarier?* In Pal interciderunt uerba *ex me* ‖ N 41, 22, Amph. 739—40 *Sed mulier postquam experrecta est e* (i. e. *es te*; H *est*) *prodigiali Ioui Aut — comprecatam oportuit.* Pal om. *te* ‖ N 278, 8, Amph. 844 *Delenitus] est mente alienatus. Plaut. in Amph.: Delenitus sum — nesciam.* Pal *delinitus* ‖ N 362, 20, Amph. 1068—69 *Ibi — metus — uelit.* Pal: B *meotus,* D *motus,* J *me otius,* E *meo totius* ‖ N 504, 15, Amph. 1102 *Lauere] — Postquam peperit pueros lauere iussit ut hos (nos): accedimus.* Pal *lauare,* inuito metro ‖ N 308, 32, Asin. 174 *Nam nec fictum usquam est nec dictum (pictum) neque scriptum in poematis.* (N 493, 8 *Nam nec fictum unquam (usquam) est neque pictum neque scriptum in poematis.*) Pal *Nam neque usquam pictum neque scriptum in poematis.* Quae uerba lacunose tradita ex Nonio ita suppleri possunt: *Nam neque usquam ⟨fictum est neque⟩ pictum neque scriptum in poematis* ‖ N 72, 14, Asin. 274 *Aetatem uelim seruire — modo* (Idem exemplum extat N 270, 31). Pal *aetate* ‖ N 22, 12, Asin. 912 *Tempus est subducere hinc me — proelium.* Pal om. *est* ‖ N 500, 28, Aul. 266—67 *Credo ego illum iam inaudiuisse mihi esse thesaurum domi — inhiat.*

Pal *inaudisse* || N 164, 16, Aul. 336 *Rauis] est raucitas. Plaut. Aul.: Ubi — at (ad) rauim poscam prius*; N 374, 10 *Ut (Ubi) — ad rabim (rauim) poscam prius.* Pal: B *adarauin,* D *ad ara iun,* J *ad arram.* Deinde Pal *poscamus* || N 95, 12, Aul. 398—99 *Dromae (Dromo) desquama piscis; — potes⟨t⟩.* Pal fere *desquam aspicis* || N 530, 24, Aul. 401—2 *Tu — Glabriorem reddis (reddes) — lydius (ludius est).* Pal: B *Clabrionem,* DJ *Glabrionem* || N 85, 31, Aul. 408 *Neque — ueni in baccanal coquinatum.* Pal: B *in bachinal* (*a* s. *i* add.), D *in bachinal,* J *inbachinal* || N 152, 4, Aul. 445—46 *Pipulo] pro conuicio. Plaut. Aul.: Ita — nisi reddi Mihi — pipulo te hic differam ante aedis* (Idem exemplum inde a *nisi* extat N 284, 18). Pal: B¹D *redi,* J *redis,* B² *reddi.* Deinde BJ *populo,* D *populos* (exp. *s*) || N 541, 28, Aul. 519 *Limbus] — Textores limbolarii* (sic Gerl; H² *limbo larii,* H¹ *limbo lari,* P *limbolari*), *alcularii (arcularii).* Pal: BD *linbuarii,* J *limbuarii* || N 454, 15, Aul. 537 *Nimium libenter edi sermonem tuum.* Pal: D *di,* B¹ *di audiui,* B² *edi id est audiui* ita, ut B² simul uideatur uocabulum *audiui* delere uoluisse, J *audiui* || N 509, 11, Aul. 564 *Macet] — Qui⟨a⟩ — ita ⟨cura⟩ macet.* Pal: B *(cura)m aegei* (exp. pr. *e*), D *(curam)magei,* J *(cura) maget* || N 45, 18, Aul. 625 *Simul radebat — et uoce crocibat* (sic recte H²; H¹PL²W *croccibat,* L¹ *groccibat*) *sua.* Pal *semel — grocchibat* || N 317, 26, Aul. 657 *Postremo — nihil habet.* Pal: B *nihili habet* (*h* m. 2.), D *nihili abet,* EJ *nichili abet* || N 45, 21, Aul. 667—68 *Subleuit] — Fidei — fidem Esse: ⟨e⟩a subleuit os mihi p⟨a⟩enissume.* Pal fere *subluit os* || N 396, 12, Aul. 674—75 *Siluani lucus — auius — locum.* Pal *aulus* || N 152, 7, Aul. 701—2 *Picos] — Pici diuit⟨i⟩is — supero.* Pal B: *PICIS,* E *ici* (c. spat. in. et ras. post alt. *i*), D *icis* (c. spat. init., in mg. *p*), J *Vites.* Non dubito, quin in Pal *pici* propter uerbi insequentis terminationem in *picis* deprauatum sit, neque Ussingio assentior, qui cum aliis hominibus doctis *picis* accusatiuum pluralem heteroclitum esse putat; quid? quod cum Bothio Italos fortasse grypas *pices* a nomine *pix* (boeotice *Φίξ* = *Σφίγξ*) appellasse opinatur? || N 487, 21, Aul. 722 *Gemiti]. Plaut.*

Aul.: Tantum gemiti et — optulit. Pal: B¹ *gemit te et* (B² *gemitiae et*), D *gemitte et*, J *gemite et*, E *gemit te* || N 128, 33, Aul. 774—75 *Nec — neque furem excipies.* Pal *expies* || N 6, 12, Bacch. 792—93 *Tenus] est laqueus: dictus a tendicula. Plaut. Bacch.: Nunc — ita intendi tenus.* Pal: B¹C D² *intendit erus*, D¹ *intendit erius*, B² *intendit enus.* Cf. etiam Seruium ad Aen. VI 62 || N 72, 21, Capt. 832 *Assulatim] ut minutatim. Plaut. Capt.: Priusquam pulsando assulatim foribus exitium dabo.* Pal: B² JE³ *assultatim* (B¹ *assul* c. spat. quattuor litt.), E¹ *absultatim assultatim.* Cf. Men. 859 *assulatim*; Merc. 129 *at etiam cesso foribus facere hisce assulas?* || N 84, 15, Cist. IV 1, 5 *Conquiniscere et o⟨c⟩quiniscere] inclinari significat. Plaut. Cist.: Faciundum est puerile officium: conquiniscam ad cistulam.* Pal: B² *puerile*, B¹ *puer* cum ras. (ex *puer id*?) E *puer ill(offitium)*, E³ in mg. *al' puerile*, J *puerilli.* Deinde B *quomque mei sciam*, E¹ *quõque mei sciam* (E³ *conquiniscam*), J *cũque mei* (deinde duarum litt. spat.) *sciam* || N 421, 13, Curc. 3 *Cupido et amor] — Quo[d] Venus Cupidoque imperat suadetque Amor.* Pal om. *que* particulam uoci *Cupido* affixam, quam praeter Nonium etiam Seruius (ad Aen. IV 194) habet || N 218, 11, Curc. 367 *Panis] consuetudine masculino genere appellatur. Neutro Plaut. in Curc.: Haec sunt — pane et assa bubula.* Pal *panem.* Cum Nonio facit Charisius (Gr. L. I 90, 5) || N 499, 2, Epid. 138 *Desipiebam — quum illa scripta* (Gerl *scribta*) *mitterem.* Pal *illas scriptas* || N 38, 14, Men. 92 *Numquam — effugiet tametsi capital fecerit.* Pal: B¹ *(te fugiet) tiam et si*, B² *(te fugiet) etiam et si*, CD *(te fugiet) iam et si* || N 24, 19, Men. 117—18 *Portitorem — ⟨Rem⟩ necesse est eloqui quidquid egi atque ago.* Pal *necesse loqui est.* Metrum *eloqui* flagitat quod Nonius exhibet, quamquam uerba perperam collocat *(est eloqui* pro *eloqui est)* || N 394, 15, Men. 168 *Nec (Nam ex) istoc loco spurcatur nasum odore inlutibili.* Pal: B *modore*, C *modori*, D *odori* || N 3, 16, Men. 469 *Pallam ad frygionem fert — prandio.* (N 537, 32 *Pallam ad frigionem fert — prandio*). Pal: B¹CD¹ *phyyglonem* (B *phyygionem*?), D³ *phrygionem* || N 449, 23, Men. 512 *Occisa*

est haec res. Pal: B *occisa sit,* CD *occisa si* || N 468, 13, Men. 707 *Meret] pro meretur. Plaut. in Men. — Idem in eadem: Adibo atque hominem accipiam dictis quibus meret.* Pal: B^1CD *aeret,* B^2 *aeret* (*m* s. *a* add.) || N 1, 18, Men. 756—58 *Consitus sum Senectute — ergo.* Pal: B^1 CD *conscitus,* B^2 *conscius* || N 3, 5, Men. 778 *Velitatio] — Nescio quid uos uelitati estis inter uos duo.* Pal: B *ueliati* (exp. pr. *i*), CD *uelati.* Cf. Fest.-Paul. p. 369, 7 || N 255, 6, Men. 925—26 *Dic mihi, en umquam — crepant quod sentias? — crepant.* Pal: B^1CD^1 *me hie numquam,* B^2 *mihi an umquam,* D^3 *me hie numquam* (*mihi* s. *me hie* et *id* s. uoculae *numquam* finem add.) || N 89, 16, Men. 960 *Coepere] incipere — Plaut. Men.: Neque ego insanio — ne⟨que ego⟩ litis coepio.* Pal *cupio* || N 476, 25, Men. 1038 *Reddibo] pro reddam — Saluum tibi itá (item) ut mihi dedisti reddibo.* Pal: B *sed habeo,* CD *redhibeo*; ubi idem uersus praue (post u. 1028) iteratur, BC *reddebo,* D *redhibeo uel reddebo* || N 533, 23, Merc. 87 *Cercyrus] — Plaut. Merc.: Aedificat nauem cercyrum* (sic codd. teste Quich.; P Gerl *cyrcerum*; pro: *cercurum*) *et merces emit.* Pal: CD *gerariam*; in B glossemate *gubernatorum* lectio genuina remota est || N 233, 2, Merc. 574 *Ieiunitatis plenus — faetidat (foetida).* Pal: B *Iam etatis,* CD^1 *ianutatis,* D^2 *iam ętatis* || N 486, 14, Mil. 74 *Ibus] pro iis* (codd. *his*) — *Plaut. Mil.: Latrones ibus denumerem (dinumerem) stipendium.* Pal: CD^1 *Latronis bus,* BD^2 *Latronibus* (item Donatus ad Eun. III 1, 42) || N 467, 21, Mil. 423—24 *Vagas] pro uagaris — Te adloquor uitii probrique plenus (plena), Qui (Quae) — uagas.* Pal: B *adloquar,* CD recte *alloquor.* Deinde Pal *propinque.* B^2CD *uaga es,* B^1 recte *uagas* || N 456, 30, Mil. 631—32 *Si — neutiquam ab ingenio ⟨est⟩ senes (senex); — indoles.* Pal: B^3CD *ibi* pro *ab,* om. B^1 || N 334, 21, Mil. 665 *Liquidiusculusque* (sic HP; LW *Liquidiuscultusque*) *ero quam uentus est fabonius (fauonius).* Pal *Liquidius cuiusque.* Deinde CD *faonius,* B *facinus* || N 5, 20, Mil. 668 *Tum ad saltandum non cinaedus malacus aeque est.* Pal *salutandum.* Deinde B^1 *maiacus egest(ant que ego,* i. e. *atque ego),* B^3 *magicus aeque stat*

quam ego, CD *maiacus* (D³ *malacus*) *equest(ant que ego)* ‖ N 120, 25, Mil. 677 *Hilaritudine* (P Gerl —*m]*) *pro hilaritate. Plaut. Mil. glor.: Siue (Es bibe) — onera te hilaritudine.* Pal: CD *hilaritus me.* B *hilarissime* ‖ N 207, 16. Mil. 835 *Nam nimis calebat, adurebat (amburebat) gutturem.* Pal: B *caluit amburcuat,* CD *cale uitam bure uat* ‖ N 230, 8. Mil. 990 *Venatura] — Viden tu illam oculis uenaturam facere — auribus?* Pal: B *oculi suae naturam.* CD *oculis ut naturam* ‖ N 499, 4. Mil. 1079 *Qui(n) — uiuunt ad (ab) sacc[u]lo [pro] ad sacc[u]lum.* Pal: B *absacio,* CD¹ *ab satio,* D³ *ab seculo* ‖ N 306, 13. Mil. 1106 *Fortis] rursum formosa.. Plaut. Mil.: Et quid (Ecquid) fortis uisa est.* Pal *fortius* ‖ N 549, 4, Mil. 1179 *Ferrugineum] — Palliolum — ferrugineum — est.* Pal *ferrugeneum* (D³ *ferrugineum*) ‖ N 103, 4. Mil. 1180 *Id conexum in [n]umero l(a)euo — brachio.* Pal: B *conixum,* CD *comixum.* Cf. Ritschl op. II 448 ‖ N 305, 3, Mil. 1390 *Ut — qui forma est ferox.* Pal *forma si ferox* ‖ N 81, 9, Most. 12 *(Si)ne modo uenire saluum quem — comes.* Pal: B² *saluum,* B¹ *saluos,* CD *saluus* ‖ N 9, 33. Pers. 104 *Ad (At) edes* (sic codd. teste Quich.: P Gerl *aedes*)*: — focula.* Pal *edis* (D³ *edes*) ‖ N 179, 21. Pers. 122 *Tuburcinari] — Plaut. Persa: Tuburcinari — sit (est).* Pal: BD *Turbucinari,* C¹ *tuburcinari* (ex *tuburcianari* corr.) ‖ N 397, 20, Poen. prol. 88—99 *Vendit — Praesenti argento homini — sacerrimo.* Pal: B *Ppresaens,* CD *praesens* ‖ N 533, 10, Poen. 507 *Corbita] — Tardiores quam corbitae sunt — mari.* Pal *corditae* ‖ N 181, 17, Poen. 532 *Tarditudinem et tarditiem] — Quodragosi (Podragosi) estis (ac uicistis) cocleas tarditudine.* Pal *tarditune* (D² *tarditudine*) ‖ N 166, 5. Poen. 539—40 *Neque nos — nemo nostr(or)um est suos rupturus ramices.* Pal *nostrorum si suos* ‖ N 532, 32, Poen. 543 *Celox] — Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date* (Idem exemplum extat N 533, 10). Pal *ueloccm* (in C *ue* ex *uo* m. 1.) ‖ N 446, 31, Poen. 745 *Qui[d] illi tantae rei — inlix (inlices).* Pal *ire it ante* (om. C), quod ex Nonio uerba ceteroqui praue collocante corrigi potuit: *rei tantae* ‖ N 392, 13, Poen. 791—93 *Spissum] significat tarde* (Quich. *tardum*).

— *Plaut. Poen.: Eheu — aruspices! Quia quid (Qui si quid) bene (boni) promittunt, perspisso euenit, Id quod mali promittunt, praesentari⟨um⟩ est.* In Pal uerba *perspisso — promittunt* interciderunt oculis librarii a priore *promittunt* ad alterum aberrantibus || N 142, 33, Rud. 1404 *Murmurillum] murmuratio. Plaut. Rud.: Nolo ego murmurillum neque susurrum fieri.* Pal: BD *murmur ullum* (in D ex *nulum*), C rectius *murmur illum* || N 5, 20, Stich. 760 *Lepidam et suauem cantionem aliquam occipito* (HP *occupito*) *cinaedicam.* Pal *occipio cynedicam* (B *cyne dicam*) || N 144, 6, Trin. 1156 *Filiam — Nisi* (sic H Gerl; Quich. nulla subscripta adnotatione *Ni*) *tu neuis.* Verba *tu neuis* in Pal casu exciderunt || N 66, 31, Truc. 495—96 *Praeficae] — Praefica[s] Quae alios conlaudare — potest.* Pal *profecta — alias.* Cf. Varro l. l. VII 70 p. 147—48 M || N 12, 26, Truc. 566—67 *Suppilare] — Plaut. Truc.: Haec quum uideo fieri, suffuror, suppilo, De praeda praedam capio.* Pal: B *sopplicio depraedam capio,* C *Suppliciodepredam capio,* D *Suplicio depraedam capio* || N 5, 7, Truc. 833 *Siue adeo caret temeto tamen — improbus⟨t⟩.* Pal: B *temet tota men,* CD *te me Tu tamen* (D *Tutamen*) || N 80, 24, Truc. 854 *Bliteae clautea (Blitea et lutea) est meretrix.* Pal *et* pro *est* || N 155, 33, Truc. 913 *Pauxillisper] a pauxillo. Plaut. Truc.: Plus — pauxillisper* (sic Gerl; L *pausillisper (x* s. pr. *s),* H^2 *pausillisper,* H^1 *pauxillis*) *perdidi[t].* Pal *pausilli per.* Ceterum formam emollitam et per *s* scriptam comprobauerunt Ritschl (op. II 250) et Fleckeisen (ep. crit. p. XII) || N 467, 9, Truc. 964 *Aucupaui] — Plaut. Truc.: Lepide ecastor aucupaui atque e* (Pal *ex,* de quo cf. Studemund ad Vidul. ed. II fr. XV) *mea sententia.* Pal: B *mecastor,* CD *me castor*; deinde B *aucupabatque,* CD *aucupabat que.*

Nonnulli uersus in Pal corrupti assumptis exemplis Nonianis, quamquam ipsa quoque deprauata sunt, emendari potuerunt:

N 151, 29, Asin. 792 *Perpexabile] — Nec ullum uerbum faciat perpexabile.* Pal: B *perpexibile,* DJ *per plexibile,* E *per ple xibile.* Genuinam lectionem *perplexabile* codicis Noniani II

4

margo exhibet. Cf. Stich. 85 *(perplexabiliter)*: Aul. 259 *(perplexarier)*.

N 95, 17, Capt. 641 *Tum igitur ego deunciatus* (sic H²W: H¹ *deuniatus*, P *denuciatus* [P¹ *denuiciatus*], L *deunctus*). *deartuatus sum miser*. Pal: B *erumnatus*, E *erum natus*, J *erumpnatus*. Turnebus et Bentleius sollerter emendauerunt *deruncinatus*. Cf. Mil. 1142 *Ut lepide deruncinauit* (B *denunciauit*) *militem*. Ex genuina lectione et *deunciatus* et corruptela grauior *erumnatus* originem ceperunt.

N 415, 18, Mil. 676 *Deum uirtute est eundem hospitio accipiam*. Pal *est tasenunde hospitio*. Ex utraque scriptura corrupta Haupt (op. II 139 seq.) feliciter emendauit *Deum uirtute est te unde hospitio accipiam (apud me comiter)*, quod Brix, Lorenz, Ribbeck receperunt. Praeterea Pal *accipiem* (C *accipiaem*) pro *accipiam*.

Finem faciant ei loci, ubi glossae uel uerba perperam in Palatinos intrusa Nonio assumpto remoueri potuerunt:

N 105, 24, Aul. 784 *Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis*. Pal *paratis atque exornatis*; particula *atque* metrum corrumpitur.

N 72, 21, Capt. 832 *Priusquam pulsando assulatim foribus exitium dabo*. Pal: BJE³ *uel assultatim*, E¹ *uel absultatim assultatim*. Particula *uel* uestigium glossematis ad *assultatim* olim adscripti uidetur esse.

N 334, 21, Cas. II 6, 47 *Quandam (Quondam) prognatis in sortiendo sors deliquerit (delicuerit)*. Pal post *prognatis* exhibent *ista*, quod pronomen Geppert ex uersu antecedente perperam inculcatum esse putat.

N 511, 16, Stich. 692 *Sat(ius) est serui (seruo) homini modeste facere sumptum quam ampliter*. In Pal post *modeste* coniectura praua additum est *melius* ad corrigendum uitium illud, quod Palatinis cum Nonio (et A^s) commune est *(Sat est* pro *Satius est)*.

N 5, 7, Truc. 833 *Sine adeo caret temeto, tamen ab in-*

genio improbus⟨t⟩. Pal *ab ingenio timidus est improbus*. Adiectiuum *timidus* in Pal nescio unde perperam intrusum et simul uerbum *est* suo loco motum est.

CAPUT TERTIUM.

Iam transeo ad ea exempla Noniana examinanda, ex quorum ipsa forma, qualem Nonius tradit, ad Plauti uerba emendanda aliquid utilitatis redundat.

I. A et Palatini seruati sunt.

A. In nonnullis exemplis Nonius cum codice A genuinam contextus Plautini formam seruauit:

N 98, 23, Cas. IV 4, 5 *Noctuque et diu ut uiro subdola sis*. Pal *sies*. Versus est septenarius iambicus (cf. Studemund de cant. Plaut. p. 24, Spengel R. V. p. 361): *Noctúque et diu út uiro súbdolá sis ópsecró meménto*. In initio colorum iambicorum formae *sies* et *siet* Plauto non in deliciis fuerunt.

N 508, 10, Epid. 151 *Quid illa fiet fidicina igitur? Aliqua res reperibitur*. Pal *de illa*, ubi *de*, quae praepositio fortasse tamquam glossema olim adscriptum fuit, contra usum loquendi Plautinum peccat, cf. Brix ad Trin. 157 (e. g. Merc. 413 *Sed quid illa nunc fiet?*).

N 548, 17, Epid. 224 *Impluuiata⟨m⟩, ut istae faciunt uestimentis nomina*. Pal *istaec facimus* (sed in B *mus* m. 2. in ras.). *istae* N et A^s ante uerbum a consonante incipiens recte habent (cf. Fr. Schmidt „quaestiones de pron. demonstr. formis Plaut.“ p. 73; Studemund in ann. phil. t. 113 p. 73 seq.). Neque minus *faciunt* solum hic ferri potest. Nam cum de mulierum uestimentis nouis Epidicus uerba faciat, ea solum sententia locum hic habet: „ut istae (sc. mulieres) uestimenta appellant.“ Contra inepte in Palatinorum lectione haec inest sententia: „ut nos istaec (neutr. plur.) nomina uestimentis indimus.“

N 510, 33, Poen. 335 *Aha! tam saeuiter* (HP *seuiter*)! Pal *Ah*. Formam *Aha* recte stare docuit Richter „de usu particularum exclamatiuarum apud priscos script. lat.“ p. 7—10.

N 396, 32, Poen. 855 *Ut enim ubi mihi uapulandum sit tu sorium (corium) sufferas*. Pal *est*, quod diaeresi a *uapu-*

landum dirimi uix potest. Coniunctiuus in enuntiato temporali ab *ubi* incipiente, cum pendeat ab enuntiato *ut — sufferas,* quam bene cum usu loquendi Plautino quadret, docet Schuberti commentatio „Zum Gebrauch der Temporalconiunctionen bei Plautus“ p. 22.

N 170, 25, Pseud. 382 *Exossabo ego illum simulter itidem ut muraenam cocus.* A^s *ego illum similiter*: Pal *similiter ego illum.* Verborum collocationem, quam Pal tradunt, nemo praeferet.

N 497, 5, Trin. prol. 1 *Sequere ⟨h⟩ac me gnata — tuum.* Pal *Sequere me mea gnata ut munus fungaris tuum,* quod falsum esse ipsum metrum indicat.

Incertior res est: N 549, 4, Mil. 1179 *Palliolum habeas ferrugineum: nam is colos thalassicus [es]t.* In A^s aut (recte) *(th)al(ass)icust* aut *(th)al(ass)icus* exaratum erat; contra in Palatinorum archetypo *est* non fuit, nam B habet *siccolost alassicus,* D¹ *isis colost alassicus,* D³ *is est color talassicus,* C *isisco lost talassicus* (ubi *t* errore librarii repetitum esse codices BD indicant); cf. supra p. 105.

B. In nonnullis exemplis Nonius cum Palatinis genuinam contextus Plautini formam seruauit:

N 203, 4, Mil. 397 *Dorsus] iterum masculini. Plaut. in Mil.: Timeo quid rerum gesserim: ita dorsus totus prurit.* A^s *dorsum totum. dorsus* masculinum quartae quae dicitur declinationis testatur Priscianus (Gr. L. II 170, 3). Utrum huius uocabuli genus Plautus usurpauerit, ex ceteris quibus occurrit locis dignosci non potest; nam accusatiuus *dorsum* traditus est Epid. 93 *(dorsum — meum),* Trin. 719, ablatiuus secundae q. d. declinationis *dorso* Cas. II 8, 23 *(a dorso meo).* Cas. V 4, 3^c (= 806 G.) autem nominatiuus *dorsum* falsae Gepperti coniecturae debetur; cf. supra p. 59 seq. Tamen cum Nonius disertis uerbis masculinum testetur et Pal idem exhibeant, et neutrum pro masculino facilius substitui potuerit quam hoc pro illo, Nonio et Palatinis assentiendum esse censeo. De masculino *dorsus* cf. Brix ad Trin. 1014, Appel „de genere neutro intereunte in ling. Lat.“ p. 5 et 101.

N 495, 10, Pers. 391 *Pol deum uirtute[m] dicam et maiorum meum.* A^s *dico*; quod refutatur exemplis his: Mil. 679 *(Nam mihi deum uirtute dicam, propter diuitias meas Licuit — ducere)*, Pseud. 581 *(Maiorum meum fretus uirtute dicam Meaque industria et malitia fraudulenta)*, Trin. 346 *(Edepol deum uirtute dicam, pater, et maiorum et tua)*. Cf. Brix ad Trin. 346.

N 10, 12, Pers. 408 *Impure, inhoneste, iniure, illex, labes pop[u]li* || N 446, 31 *Iniure, illex* (Gerl *inlex*), *labes pop[u]li.* A^s *periure,* quod metro respuitur; adde, quod sine dubio consulto quattuor illorum uerborum initia concinere poeta uoluit. In A pro uocabulo, quod apud Plautum hoc uno loco occurrit (saepius tamen legitur *iniurius*), uulgare *periurus* substitutum est.

N 423, 28, Pseud. 281—82 *Nimio id quod piget (pudet) facilius fertur quam illud quod piget. Non — piget.* A^s *Nimis.* Cum comparatiuo Plautus nusquam *nimis* coniunxit, immo cum positiuo *nimis* uel *nimium,* cum comparatiuo *nimio.* Cf. etiam Langen Beitr. p. 333 seqq.

N 164, 30, Pseud. 1300—1 *Percin (Pergin) ructare in os mihi? Suauis — Simo[n].* In A^s hae prioris uersus reliquiae legi potuerunt: *QUID————OSRU(ct)AREMIKI,* ut A habuisse uideatur: *Quid libet? pergin in os ructare mihi?* Quae uersus forma in metrum ex creticis et trochaeis constans non quadrat.

N 468, 20, Stich. 502 *Ea⟨m⟩ ego auspicaui in re capitali mea.* In recensione Ambrosiana, nisi forte librarii culpa omissa est, perperam deerat uocula *Eam* (Nonius cum B *Ea*).

N 123, 20, Trin. 535—37 *Alii exsolati (exolatum) abierunt, alii emortui — est.* A^s *abiere,* fortasse ideo, quod in uersu proximo *suspendere* propter metrum usurpatum est. In hoc uersu, nisi Plautum hiatum in caesura penthemimere statuisse putes, *abierunt* est lectio genuina.

N 89, 16, Truc. 232 *Dum — ubi nihil habeat, alium quaestum coepiat.* In hoc exemplo, quamquam ceteroquin in codicibus Nonianis male seruatum est, recte traditus est coniunctiuus *habeat* cum Pal. In lectione codicis A^s *Dum*

habeat, tum amet: ubi nihil habet, alium quaestum coepiat uitium latere metrum indicat. Neque enim aut *Dúm habeát, tum amét: ubi níl habet* aut adeo *Dum hábeat, túm amet: úbi nihíl habet* comprobandum existimo.

N 457, 8, Truc. 268 *Iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.* A^s *te, quasi sus catulos, mulier, pedibus proteram.* In A uocatiuus *mulier* a pronomine, ad quod pertinet, nimio spatio diremptus est.

C. His exemplis N ab A et Pal discrepans lectionem genuinam seruauit:

N 100, 24, Poen. 365 *Delicia[m]] numero singulari: quod aut rarum est aut singulare. Plautus: Mea uoluptas, mea delicia.* A et Pal *meae deliciae.* Contra Gellius XIX 8. 6 (ad quem fortasse exemplum Nonianum redit): *quando Plautus, linguae Latinae decus, deliciam quoque ἑνικῶς dixerit pro deliciis: Mea, inquit, uoluptas, mea delicia.* Plautus huius uocabuli singulari usus est Truc. 921 et Rud. 429 (Poen. 389 singularis Gepperti coniecturae debetur), in reliquis (tredecim) locis plurali. Hoc de quo agitur loco singularis probandus est, quoniam numerum singularem in uu. 365—67 poeta cumulauit.

N 123, 20, Trin. 535—37 *Incitas* (Quich. *Incitae* ⟨*et incita*⟩)] *dicitur egestas. Plaut. Trin.: Alii — emortui — cuius tuta (cuius est Ut ad) incitas redactus [es]t.* A^s *ad incitast redactus*; Pal *ad incitas redactus.* Praeter hunc locum locutio *ad incitas* occurrit apud Plautum in Poen. 907, ubi metro *incitas* flagitatur; contra *ad incita* bis scripsit Lucilius in uersibus dactylicis (III 62, XV 20 M.).

His duobus exemplis N ad formam genuinam propius accedere uidetur quam A et Pal:

N 394, 30, Pseud. 183—84 *Vino — estis, Eo uos uestrosque adeo panticis (pantices) madefactatis quum ego sim hic siccus.* A^s *Eo uos uestros panticesque adeo madefecistis* (male enim *madefactatis* in A legere sibi uisus est Loewe); Pal *Eo uos uestros panticesque adeo madefactis* (B *madefacitis*). Exhibent igitur A et N anapaesticum octonarium, Pal septenarium (numeros inde a u. 174—184 anapaesticos esse

perspexerunt Studemund „de cant. Plaut.“ p. 55 seq. et Spengel R. V. p. 168 seqq.): atque cum ex octonariis et septenariis haec cantici pars mixta sit, et acatalectus et catalecticus tetrameter ferri potest. Sed uix recte particula *que* in A et Pal uocabulo *pantices* affixa est, cum probabilius apud Nonium *uestrosque* traditum sit (cf. Draeger synt. II p. 32). Deinde perfectum *madefecistis* in A minus idoneum est, cum Ballio non tam illud dicere uelit, ancillas tum uino sese madefecisse, quam hoc, ancillas uino sese madefacere solere, quod praesenti significatur, atque uerbo intensiuo, quod est apud Nonium, aptius quam simplici, quod est in Pal. Ceterum in forma Noniana collaqueatio, quae fit in pedis quarti thesi, nonnihil offensionis habet. Neque uero particula *adeo* quid sibi uelit intellegitur, cf. Langen Beitr. p. 147. De loco desperato quid certo iudicandum sit, nescio.

N 497, 5, Trin. prol. 1 *Sequere* ⟨*h*⟩*ac me gnata, ut munus fungas tuum.* A[s] *FUNGA(ri)S,* Pal *fungaris.* Eam huius senarii formam, quam Nonius tradit, corruptam esse hiatus indicat post syllabam breuem uix tolerandus. Sed ne forma *fungaris* quidem propter terminationem *-ris* omni dubitatione caret, cum Plautus *-re* usurpare soleat (cf. Neue II p. 393 seq., Brix ad h. l.). Schoell (in append. crit.) seruauit formam actiuam *fungas* hoc pacto: *ut munus fungas* ⟨*tu*⟩ *tuom.* Vix quisquam seruata Palatinorum lectione *me mea* (de qua uide supra p. 116) commendauerit insuaues numeros hos: *Sequére me* (uel *Sequere hác me*) *méa gnata út munús fungás tuóm.*

D. Ex ea forma, quae in A et Pal atque apud Nonium tradita est, lectio genuina aliqua probabilitate restitui potuit exemplo hoc:

N 84, 19, Pseud. 674 *Atque ego nunc me ut gloriosum faciam et copi pectore.* Sic etiam A[s] (in quo *Adq(ue)*); Pal *Atque ego nunc me gloriosum faciam, ut copi pectore.* Lorenz uerba *me ut gloriosum faciam* uertit „ich werde mich stellen wie ein Prahler“, sed particulam *ut* in eiusmodi locutionibus non addi ipse adnotat. Apparet particula *ut* hoc loco potius

Pseudoli exclamationem contineri (quod saepissime fit apud Plautum, cf. Brix ad Men. 570). Verba *gloriosum se facere* significant „gloriari", ad quam significationem proxime accedunt hi loci: Curc. 539 *(Ne te mi facias ferocem)*, Mil. 1044—45 *(magnum me faciam Nunc quom illaec me sic conlaudat)*, Mil. 1243 *(tu te uilem feceris)*. Contra Mil. 1034 35 *(face te fastidi plenum Quasi non lubeat)* uerbi *simulare* uim locutio *se facere* habet; similiter Epid. 420—21 *(me autem sic adsimulabam quasi Stolidum, quom bardum me faciebam)*. Ritschl (eumque secutus Lorenz) emendabat: *Atque ego — faciam: copi pectore*, ita ut uerba *copi pectore* artificiosissime ad ea quae sequuntur referret. Ego uerba *faciam me gloriosum et copi pectore* ita seruanda esse censeo, ut ablatiui *copi pectore* tamquam uices agant accusatiui *animosum* uel similis alicuius adiectiui. Palatinam recensionem deteriorem esse prima specie apparet. Nescio tamen an particula *ut* ante *copi* seruata elegantissima ex utraque recensione forma constitui possit haec: *Atque ego nunc me ut gloriosum faciam, ut copi pectore!*

II. Multo maiorem utilitatem Nonius affert ad eos locos, qui in Palatinis solis seruati sunt, emendandos.

a) Palatini contextus Plautini formam quae uitiis laborat praebent.

N 179, 30, Amph. 554—55 *Tuatim] tuo more. Plaut. Amph.: Eccere iam tuatim Facit (Facis).* Pal *Tu autem* perperam, cum pronomen *tu* in antecedentibus nihil habeat cui oppositum sit (uide Brix ad Men. 1090). Accedit, quod etiam apud Charisium (Gr. L. I 221, 6) traditum est: *Tuatim Plautus in Amphitryone; ubi Sisenna ut nostratim. significat autem tuo more.* Gloss. Plaut. quoque (cf. Ritschl op. II p. 272) *tuatim* exhibet.

N 112, 18, Asin. 286 *Non placet: metuo in commune ne quam fraudem frausus sit.* Pal *siet*, quod metro respuitur.

N 45, 5, Asin. 789 *Nolo illam causam habere* (sic Quich., nulla subscripta de codicibus adnotatione; contra Merc. et Gerl *habere causam*, et sic P) *et uotitam dicere.* Pal *habere illam causam.* Quae uerborum collocatio quam falsa sit, metrum ostendit. Nonianorum codicum lectionem

utrum Quicherat an Gerlach fidelius expresserit, nescio. Elegantior tamen est ea forma, quam Goetz et Loewe cum Acidalio receperunt: *illam habere causam.*

N 187, 5, Asin. 942 *Volup] pro uoluptate. Plaut. Asin.: Hic senex si quid clam uxorem suam animo fecit uolup.* Pal *uoluptatis* (ex glossemate enatum), quod metro respuitur.

N 115, 2, Aul. 49 *Grandire] est grandem facere. — Plaut. Aul.: Testudineum istum tibi ego grandiuo (grandibo) gradum.* Pal *gradibo.* Quam formam, quo fortius lusus uerborum *(gradibo gradum)* appareret, recipiendam commendauit Warren (The american journal of philology IV p. 71 seqq.). At cf. Epid. 13 *(gradibus grandibus),* Truc. 286 *(grandi gradu),* Curc. 118 *(grandiorem gradum).*

N 139, 30, Aul. 234 *Mordicibus et mordicus] pro morsu, [pro] morsibus. Plaut. Aul.: Asini me mordicibus scindant, boues incursent cornibus.* Pal *me mordicus*: quae lectio metro non sufficit. Formam *mordicibus* ex Nonio recipiendam commendauit Buecheler (Woelfflinii 'Archiv' I p. 104 seqq.), eandem olim dubitanter Ritschl (op. II 248): pro qua Gruter coniectura substituit *mordicitus.* Goetz cum Bentleio et Ritschelio locum ita sanare maluit, ut *mordicus me* scriberet.

N 172, 22, Aul. 659 *Ibo intro atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.* Pal *Ibo hinc intro.* Aduerbium *hinc,* fortasse ex uersu proxime sequente, qui sic incipit: *Fugin hinc ab oculis?,* perperam inculcatum, metro respuitur. Plautus, prout metrum flagitat, in hac locutione *hinc* modo addit, modo omittit: cf. e. g. Aul. 620 *(Íbo hinc íntro: pérscrutábor* e. q. s.), 700 *(Ibo hínc intro, úbi de cápite meó sunt cómitiá)*; contra 802 *(Íbo intro, út quid* e. q. s.), Epid. 319 *Ibo íntro: argéntum* e. q. s.).

N 218, 3, Curc. 228 *Praesepia] neutri sunt generis. — Feminino* (Quich. *-ni*) *Plaut. in Curc.: Quin reciperet se huc [c]essum ad praesepim suam.* Pal: B *praesepe suum,* EJ *presepem suum.* Neutrum *praesepe,* quo posteriores demum usi esse uidentur, ipso metro repudiatur. Charisius quoque (Gr. L. I 59, 14) *ad praesepem* (de formis feminini in *-is* et in *-es* exeuntibus cf. Neue I p. 202 et p. 553) *suam* tradit,

N 38, 14. Men. 92 *Numquam hercle effugiet, tametsi capital fecerit.* Pal *Numquam edepol te fugiet* inuito metro, ubi tamen is, qui Pal recensuit, fortasse uoluit: *Numquam edepol fugiet.* Verbum *effugere* absolute stat etiam Curc. 598. Ceterum in uersuum iambicorum initio et *Numquam hercle* usurpauit Plautus (cf. Asin. 678. Men. 533. Mil. 581) et *Numquam edepol* (cf. Men. 518. Mil. 538. 848. Pseud. 152. 507. 1018).

N 335, 28, Pseud. 1107 *Luxantur, lustrantur, comedunt quod habent.* Pal: B *Luxuriantur iantur lustrantur,* CD *Luxuriantur lustrantur.* Et Ritschl. qui uersum bacchiis discripsit, et Spengel, qui trochaeis (R. V. p. 67 et 267 seq.), pro *luxuriantur,* quod ex glossemate enatum esse suspicor. ex Nonio *luxantur* receperunt. Eandem lectionem Festus Pauli (p. 120, 14) respicere uidetur: *Luxantur] a luxu dictum, id est luxuriantur.*

N 139, 9, Truc. 439—40 *Ostendisse sciam (Ostendit sese iam) mihi medullitus, ⟨Se mihi⟩ infidelem numquam dum uiuam (uiuat) fore.* Pal *mihi iam sese,* qua collocatione admissa metrum corruit. Deinde Pal inepte *ne uiuat*; itaque in editionibus olim haec circumferebatur lectio: *se uiua.* Sed Bombe („de ablatiui absoluti ap. antiquiss. Rom. script. usu“ p. 39) Nonianum illud *dum* comprobauit.

b) Palatinorum contextus redit ad recensionem deteriorem ea, quam repraesentat lectio Noniana.

N 352, 16, Amph. 180 *Numero] significat ⟨c⟩i⟨t⟩o. Accius — Plaut. Amph.: Numeró mihi ín mentém fuít.* Pal *nunc uero mihi.* Quam lectionem, quamquam *nunc* particula cum perfecto *fuit* non inepte componitur (cf. Langen Beitr. p. 39), Plautinam uix esse particula *uero* ieiunius repetita indicat; octonarius iambicus enim est hic: *Sum uero uere uerbero: nunc uero mihi in mentem fuit.* De aduerbio *numero* uberius egit Ribbeck (Corollarium ad trag. Rom. p. XV). Apud Plautum *numero* significat „nimis cito“, cf. Lorenz ad Mil. 1400 ed. alt. Itaque hoc loco, ubi Sosia se tum demum deis gratias agentem per iocum increpat, optime *numero* (= „nimis cito“) extare, sed ironice usurpatum uiderunt Goetz et Loewe. Adde, quod Gellius (I 7, 17)

lectionem Nonianam confirmat. Ritschl et Fleckeisen dederunt ⟨*nam*⟩ *número mihi ín mentém fuít.*

N 128, 17, Amph. 209—10 *Sin — Sese igitur summa uiresque (ui uirisque) eorum oppugnatus se (oppugnassere) oppidum.* Pal *oppidum expugnassere* (sic recte D). Praepositionem uerbi compositi genuinam Nonium seruasse Goetzio et Loewio assentior, quamquam etiam Donatus (ad Eun. I 1, 1) *expugnascere* tradit. Nam probabilius est ducem minari, hostium oppidum se oppugnaturum esse, quam expugnaturum. Deinde quod Neue (II p. 549) infinitiuos in *assere* desinentes proprie futuri exacti uim habere exponit, ut *sese — expugnassere* hoc loco fere significet „sibi expugnatum fore", non necessario illam uim his infinitiuis uindicari cetera exempla, quae Neue affert, demonstrant, quorum omnium significatio potest esse futuri primi quod uocatur. Sed etiamsi in infinitiuo uis futuri exacti insit: *ui uirisque* aptius ad oppugnationis, quam ad expugnationis rationem illustrandam additur.

N 8, 6, Asin. 894—95 *Nauteam Bibere malim si necesse sit quam illam oscularier.* Pal *est,* minus bene, cum et sententiam mere condicionalem esse ipsum *malim* indicet, et hiatus in diaeresi ante *est* a Plautina consuetudine abhorreat.

N 320, 13, Aul. prol. 16—17 *Et quide (Ecquid) maiorem filium (filius) Mihi honorem habere⟨t⟩ quam eius habuisset pater.* Pal *et qui* (pro *ecqui*). Solum *ecquid* in interrogationibus et indirectis et directis Plautinum esse supra monui (p. 98).

N 95, 12, Aul. 398—99 *Dromae (Dromo) — tu Machaerio Gongrum (Congrum), muraenam exdorsua quantum potes⟨t⟩* ‖ N 17, 29 *Tu Mac⟨ha⟩erio Congrum, muraenam exdorsua quantum potest* (sic recte H^1P^1L; H^2P^2 Gerl *potes*). Pal *Congrum, murenam exossata fac sient.* Cuius enuntiati constructio non est iusta; uide supra p. 75. Palatinorum uerba *exossata fac sient* Wagner a dittographia antiqua repetiuit. Contra Camerarius, ut Palatinos suppleret, post uersum, qualem Nonius exhibet, addidit haec: ⟨*Atque omnia,*

dum absum hinc,) exossata fac sient. Editores recentiores omnes lectionem Nonianam probauerunt. Verba, quae Nonius habet, etiam Festus Pauli p. 79, 12 respicere uidetur: *Exdorsua] dorsum confringe; alii exime.* Ceterum *quantum potest,* non *quantum potes* scribendum esse docuit Brix ad Men. 435.

N 524, 20, Aul. 405 *Redeo intro, ne quid hic (itidem) turbae fiat.* Pal *Fugiam intro. fugiam* ubi apud Plautum occurrit, significat idem quod *aufugiam*: cf. e. g. Aul. 730 *(an adeam an fugiam),* Cas. V 3, 14 *(ac domo fugiam: Nam salus nullast scapulis, si domum redeo).* In hunc autem locum fugiendi notio non quadrat. Anthrax enim, ut artoptam ex proximo a Congrione peteret, domo egressus clamorem in Euclionis aedibus ortum audit et ut prouideat, ne etiam inter eos coquos, quibus ipse praefectus est, turba fiat, redeundi consilium capit: itaque fugiendi notio nullo pacto ferri posse mihi uidetur, contra optime redeundi. Ad praesens *redeo* illustrandum hos excerpsi locos: Cist. IV 2, 37 *redeo intro. Mulier mane,* Mil. 1020 *Iam ad te redeo,* Rud. 904 *Sed uxor uocat me ad prandium: redeo domum.* Liberius illum de quo agitur uersum ita conformat Mueller (Pros. p. 519), ut *fugiam* non recte seruet.

N 272, 6, Aul. 567 *Caedendum conduxi ego illum* N 274, 13 *C(a)edendum conduxi ego illum.* In Pal hic est senarius: *Caedúndum illum égo condúxi. Túm tu idem óptumús est* (Goetz *optumumst*). At Plautina uerborum collocatio non est *illum ego*, sed *ego illum.* Itaque nescio an cum Nonio *ego illum* scribendum sit.

N 487, 21, Aul. 722 *Tantum gemiti et mali (malae?) maestitiae mihi hic dies optulit.* Pal *hic dies mihi.* Verborum collocationem Nonianam, quae quodam modo commendatur hiatu euitato, confirmat Priscianus (Gr. L. II 258, 18).

N 210, 7, Aul. 748 *Lux] feminini est generis. — Masculini Plaut. Aul.: Luci* (H[1]L *luce*) *claro disripiamus (deripiamus) aurum matronis palam.* Pal *Luce clara.* Nonium errasse, cum uocabulum *lux* hoc loco masculini generis esse opinaretur, docuit Bergk („Beitr. zur lat. Gramm.“ I p. 146 seqq.).

Idem *(luci claro)* aliis exemplis comprobat Nonius; cf. etiam Cist. II 1, 49 *cum primo luci,* Amph. 165 *hoc luci.* Nonii lectionem editores receperunt.

N 75, 29, Bacch. 445 *Attigat] contingat* (codd. *continget*) — *Plaut. Bacch.: Ne áttigás puerum ísta caúsa, quando fecit strenue.* Pal *adtingas* minus bene. Noniana lectione primus septenarii trochaici pes purus fit; itaque probabiliter Hermannum et Ritschelium *attigas* ex Nonio recepisse censeo. Epid. 723 in initio septenarii trochaici BE[1] habent *Ne átticás* (pro *attigas*). *Osténde uéro* e. q. s., ubi J *attingas*; Truc. 276 Pal *Ne átticás* (pro *attigas*) *me. Téne ego tángam?* e. q. s., A[s] *attingas.* Alii contra sunt loci, ubi metrum *attingere* flagitet: Bacch. 915, Most. 263, Mil. 472, Merc. 32.

N 8, 6, Curc. 99 *Nautea] est aqua de coriis uel — dicta a nautis. Plaut. Curc.: Nam omnium unguentum odor prae* (HP *pre*) *tuo nautea est.* Pal: EJ *nausea,* B[2] *nausea (t* sup. *s). nausea* significat stomachi morbum, deinde uomitum; cf. Fest.-Paul. p. 164, 12 (Festus p. 165, 30) *Nautea] — quia nauseam facit.* Ubi aqua foetida significatur, *nautea* tantum usurpatur; cf. glossas in Loewii prodrom. p. 284 seq. Recte igitur Asin. 894—95 *nauteam Bibere malim* codices BDE habent, J *nauseam.* Cas. epil. 7 *ircus unctus nautea* A[s] et Donatus ad Eun. V 3, 3, Pal *nausea*; cf. etiam Plauti Artemonis fragm. II ed. Winter. Contra Merc. 375 *Nausea* libri Pal recte habent, cum agatur de stomachi malo.

N 519, 20, Men. 555—56 *Demam hanc coronam atque abiciam ad laeuam manum Ut — censeant.* Pal male omittunt *hanc.*

N 305, 11, Mil. 1322—23 *Nam tu quemuis potissis (potis es) facere ut (a)fluat facetiis, Et — ferocior.* Pal *quamuis,* quod Ritschl et Fleckeisen seruauerunt; contra Brix, Lorenz, Ribbeck ex Nonio recte formam *quemuis* receperunt, cf. Brix ad Mil. 362.

N 198, 17, Most. 254 *Vide capillum satin compositum sit commode.* Pal *uiden capillus satis.* Becker (in Studemundi stud. I p. 168) ex Nonio *uide — satin* emendandum esse docuit.

N 5, 20, Stich. 760 *Lepidam et suauem cantionem aliquam occipito* (HP *occupito*) *cinaedicam*. Pal *cantationem*, quod neque quadrisyllabum fieri pronuntiando potest neque alias apud Plautum occurrit: nam u. 707 in A[s] et Pal est *Cantio graecast* (Pal *est greca*). 768 Pal *cantionem — nouam*, Bacch. 38 *cantio (lusciniolae)*.

N 525, 20, Trin. 166—68 *Quia ruri dum sum ego — litteris*. Pal *rure*. Vide Langen Beitr. p. 308 seqq.

N 66, 31, Truc. 495—96 *Praefica[s] Quae alios conlaudare* ⟨*e*⟩*a*⟨*pse se*⟩*se uero non potest*. Pal *conlaudat*. Infinitiuum *conlaudare* recipiendum esse docuit Kiessling (ann. phil. t. 97 p. 633).

N 457, 20, Truc. 497—98 *Nunc ad amicam decimo mense* ⟨*post*⟩ *Athenas attiseas (atticas) Viso, quam grauidam hic reliqui meo compressu quod (quid) ea agat*. Pal male omittunt *hic*. Cf. Amph. 668 *Grauidam ego illanc* (codd. *illam*) *hic reliqui quom abeo*, Trin. 1074—75 *liberi quid agunt mei, Quos reliqui hic filium atque filiam?*

Dubitari potest de his locis:

N 128, 33, Aul. 774—75 *Indipiscere] petere, usurpare. Plaut. Aul.: Nec partem tibi Adeo cui sit indipisces neque — excipies?* ‖ N 293, 11, Aul. 774—75 *Nec partem tibi Adeo cuius est* (sic H[1], H[2] *cuiuis est*, ceteri *cuiuis*) *indipiscis (indipisces) neque — excipias (excipies)?* Pal *Ab eo — inde posces*. *indipisces* Plauto uindicauit Abraham ann. phil. suppl. XIV p. 188, cum praepositio *a* apud Plautum nusquam a uerbo *poscere* pendeat. Attamen ne uerbum *indipiscere* quidem, quippe quod idem significet atque *adipisci*, bene ad sententiarum conexum quadrat, cum hoc loco poscendi notio rectius extet; neque ullo loco aut datiuum aut praepositionem *a* cum uerbis *indipiscere* aut *adipisci* (uel *apisci*, cf. anal. Plaut. p. 100 seqq.) coniuncta inueni. *adeo* comprobauit Langen Beitr. p. 143.

N 12, 26, Truc. 566—67 *Haec quom uideo fieri, suffuror, suppilo, De praeda praedam capio*. Pal: BD *si fieri*, C *sifieri*; quod nescio an ex *sic fieri* corruptum sit. *sic*, in quo ipso offensio est nulla, ut numeros constituerent, homines docti

omiserunt, Schoell ita ut priorem uersum bacchiacum (ubi pro pede secundo uix recte choriambus *-o fieri* legitur), Spengel ita ut anapaesticum dimetiretur. Mueller („Nachtraege" p. 146) particulam *sic* ita seruauit, ut uersus iambicos dimetiretur et post *suppilo* parum probabiliter inuitis et Palatinis et Nonio *ocius* inculcaret.

c) Ex nonnullis exemplis Nonianis atque ex corrupta contextus Plautini forma, quae in libris Palatinis tradita est, aliqua probabilitate lectio genuina restitui potest:

N 152, 4, Aul. 445—46 *Ita me bene amet Lauerna! te iam nisi reddi Mihi uasa iubes pipulo te hic differam ante aedis* || N 284, 18, Aul. 445—46 *Nisi redde (reddi) Mihi uasa iuues (iubes) pipulo te differam ante aedis.* Pal: *Ita me bene amet Lauerna! te iam nisi red(d)i Mihi uasa iubes populo (pipulo) hic differam ante aedis.* Varro (de l. l. VII 103, p. 160 M.) *In Aulularia: pipulo te differam ante aedis.* Hos uersus antiquitus corruptos esse metro euincitur. Constat enim tota haec scaena, quod Studemund in scholis nobiscum communicauit, uersibus ex binis colis consutis, quorum prius est per totum canticum quaternarius iambicus, alterum aut penthemimeres iambicum (cuius primus pes semper est impurus, alter certa ratione modo purus, modo impurus) aut semiseptenarius iambicus syncopatus omissa pedis tertii arsi. Inde a uersu 441 ita uariati sunt uersus, ut in altera uersus parte alternis uicibus penthemimeres iambicum (uel anapaesticum, cum pes secundus in hac parte sit impurus) et semiseptenarius iambicus syncopatus sese excipiant. Itaque cum alteram uersuum 441 *(iam nóscere póssis)* et 443 *(mortális utí sis)* partem effici penthemimere iambico siue anapaestico Studemund demonstrauerit, altera uersus 445 parte ipsa quoque idem colon efficiatur oportet, item altera uersus 446 parte semiseptenarius iambicus syncopatus. Itaque hoc est schema uersuum 445 et 446: 445 quaternarius iambicus ┼ ◡◡ - ◡◡ – ⏑̱, 446 quaternarius iambicus ┼ ◡◡ - ◡ – – ⏑̱. Apparet eam horum uersuum formam, quae tradita est, huic metro non prorsus satisfacere. Vi-

dentur autem duae recensiones fuisse, quarum altera in Palatinis, altera apud Varronem ita, ut clarissime dispici possint, seruata est. In priore exemplo Noniano cum pronomen *te* bis traditum sit, alterum utrum spurium esse apparet. Atque cum Plautus post talia iuramenta, qualia sunt *Ita me di ament, Ita me amabit Iuppiter* etc., saepe particula *ut* utatur, hic quoque post *Lauerna* particulam *ut* uel *uti* olim extitisse probabile est. Aduerbium *hic* optime in hunc locum quadrat.

Emendationum ad hunc locum restituendum propositarum, quas enumerare longum est, omnium maxime probabilis Goetzii uidetur, quippe quae et metro satisfaciat, et secundum artis criticae leges ex eis, quae in codicibus Plautinis et apud Nonium et apud Varronem tradita sunt, lectionem Plautinam restituerit: *Ita mé bene amét Lauérna ⟨u⟩tí iam⟨iám⟩, nisi réddi Mihi uása iúbes, hic pípuló te dífferam ánte aédis,* quamquam non paucas alias uias emendandi patere consentaneum est. De *iamiam* particula cf. Curc. 707 *Nihil agit: collum obstringe homini. Iamiam faciam, ut iusseris.*

N 394, 15, Men. 168 *Nec (Nam ex) istoc* (H Gerl *isto*) *loco spurcatur nasum odore inlutibili.* Pal *inlucido,* quod uocabulum sententia respuitur. Ac ne *inlutibili* quidem illud Nonianum metro satisfacit. Recte autem Nonii uestigia secutus Ritschl Plauto reddidit *inlutili.*

N 519, 20, Men. 555—56 *Demam — manum, Ut si sequentur me, hac abisse censeant.* Pal perperam B *Ut sequi* (sic B^1; *si qui* B^2) *sequatur hec* (sic B^1; *hac* B^2) *me*; C *Ut si qui* (ex *quis* factum) *sequatur haec me*; D *Ut si sequatur hec* (sic D^1; *hac* D^3) *me.* Ritschl, Brix, Ussing lectionem Nonianam receperunt. Tamen Brix recte in Noniana quoque lectione offendit, cum Menaechmus fore ut ipsum sequantur non tam affirmare quam fingere debeat. Itaque fortasse restituendum est: *Ut si sequantur me, hac* (uel cum Pal *hac me*) *abisse censeant.* Pylades emendauerat *ut qui sequantur.* Brix uerbis liberius transpositis proposuit: *Si qui sequantur, hac me abiisse ut censeant.*

CAPUT QUARTUM.

In capite quarto ea exempla Noniana complectar, in quibus certis causis atque rationibus de uariis contextus Plautini formis diiudicari non potest, quippe quae formae ad recensiones aeque bonas redeant.

I. A et Palatini seruati sunt.

A. Nonius cum Ambrosiano facit contra Palatinos.

N 9, 29, Mil. 1407 *Dispennere] est expandere: tractum a pennis et uolatu auium. Plaut. Mil.: Ubi lubet, dispennite hominem diuersum et distendite.* In A^s postremum uerbum *distendite* fuisse paululo uerisimilius est quam *dispendite*; tertii uerbi prima tantum littera *(D)* et septima *(D)* legi potuerunt, sed *d(ispen)d(ite)* exaratum fuisse collato postremo uerbo ueri non dissimile est. Contra recensionem Palatinam *distendite — dispendite* habuisse codices C et D testes sunt, cum B bis exhibeat *dispendite.* Quamquam per se utraque uerborum collocatio probari potest, editores Nonium secuti sunt.

N 164, 30, Pseud. 1300—1 *Percin (Pergin) — mihi? Suauis ructus mihi est: sic sine, Simo[n].* In A^s trium postremorum uerborum hae reliquiae apparebant: *S(ics)INE SIMO* [perperam enim refert Loewe in A post *(s)INE* extare EIMODO]; Pal *sic sine modo.* Prior uersus 1301 pars est dimeter creticus acatalectus, posteriorem Brix (ann. phil. t. 91 p. 68—69) tripodiam trochaicam catalecticam, cuius primus pes sit syncopatus, esse censet; contra Spengel (R. V. p. 90) secundum hoc schema eam pactam esse putat: _ ◡ ◡ ◡ _. Cum utraque sententia et Nonii Ambrosianique et Palatinorum lectio conuenit, neque uideo, qua de causa alteram alteri praeferamus. Saepe aduerbium *sic* apud Plautum cum imperatiuo *sine* coniunctum legitur: cf. As. 460, Bacch. 1134, 1187, Men. 351, 1028, Most. 346, Cas. III 6, 22 (?); aduerbium *modo* cum *sine* coniunctum legitur: As. 902, Cas. II 8, 1, Curc. 655, Most. 11, 12, Pseud. 239 (?), Cas. III 2, 14 (?): in quibus exemplis omnibus imperatiuus *sine* modo absolute

stat, modo coniunctiuum uel infinitiuum uel accusatiuum suspensum habet. Et *sic* et *modo* in eodem uersu cum *sine* coniuncta, sicut in Pal fit, non inueni. Brix et Spengel *modo* exhibent, quippe qui Ambrosiani lectionem nondum nouerint. Ritschl *sic sine:* ⟨*i*⟩ *modo*, ut penthemimeres trochaicum efficeret, emendauit, quam emendationem recte impugnauit Spengel (l. c. p. 91).

N 536, 18, Pseud. 738 *Manuleatam tunicam habere hominem addecet.* Compositum *addecet* habent etiam A^s et Priscianus (Gr. L. II 139, 13); Pal *decet.* De qua discrepantia cf. Studemund ad Vidul. (edit. II) fragm. V 34. Ritschl et Lorenz *addecet* receperunt.

N 192, 10, Stich. 348—49 *Araneae] et feminini sunt generis. — Masculini Plautus in Sticho: Ut operas araneorum tergam et texturam improbem Deiciamque eorum omnes telas.* Pal *araneorum* — *earum.* Sequitur in Pal *misera falgebunt* (C *fulgebant,* D *fulgebunt*), ubi A^s habet *miseri* (uel *misere*) *algebunt*: itaque is, qui recensionem Palatinam confecit, *miserae algebunt* uoluit, littera *E* autem in archetypo litteris maiusculis scripto cum *F* commutata est; sequitur deinde in Pal u. 350 *illas* [in A^s *illos*]. In priore igitur uersu (348) *araneorum* in Pal casu exaratum uidetur esse pro *aranearum.* Loewe (anal. Plaut. 177 seq.) masculinum defendit et Romanos inter *aranea* et *araneus* et *araneum* fluctuasse docuit. Asin. 425 Pal femininum habent, item Aul. 87, Stich. 355 (ubi utrum in A^s *araneas* an *araneos* exaratum fuerit, non constat).

B. Nonius cum Palatinis facit contra Ambrosianum.

N 102, 33, Epid. 582 *Atque — prorsum.* A^s *prosus.* De formis *prorsum* et *prorsus* cf. Ritschl op. II 261. Codicem A secutus est Goetz. De scribendi pronuntiandique uarietate, quam A habet, *prosus* (omisso altero *r*) uide Ritschl prol. p. CIV.

N 104, 10, Poen. 357 *Expalpare] elicere. Plaut. Poen.: Quid faciam? Exora, blandire, expalpa.* A^s *palpa.* Sae-

pius recensiones codicis A et codicum Pal ita inter se discrepant, ut in altera simplex uerbum, in altera compositum extet; uide etiam Studemund ad Vidul. fragm. V 34. Deponentis *palpari* formae occurrunt Amph. 507 *(palpabitur)*, Merc. 167 *(palpatur)*; *expalpari* Vidul. fragm. XXI *(expalpabitur)*. Formam actiuam *(palpare)* posteriore tempore fere solam in usu fuisse monet Langen (Beitr. p. 67). *expalpare* praeter hunc de quo agitur locum Nonius affert ex Pomponio (Ribbeck com. Rom. fr. ed. II p. 230, 32).

N 423, 28, Pseud. 281—82 *Nimio — piget. Non dedisse istum pudet; me, quia non accepi, piget.* A[s] *istunc* fortasse recte, cum syllaba altera sub ictu posita sit.

C. Nonius discrepat ab A et Pal inter se consentientibus:

N 9,29, Mil. 1407 *Dispennere] est expandere: tractum a pennis et uolatu auium. Plaut. Mil.: Ubi lubet, dispennite hominem diuersum et distendite.* A[s] *d(ispen)d(ite)* et in uersus clausula *distendite* (? cf. supra p. 129), Pal *distendite — dispendite.* Nonius in exemplari aliquo Plautino formam *dispennite,* in qua ex *nd* assimilatione factum est *nn,* occurrisse testis est, non secus atque Donatus ad Phorm. II 2, 16 (ubi codd. Terent. *tenditur*) adnotat: *legitur et tennitur; habet enim n littera cum d communionem.* Cf. Brix ad Mil. 1407. Formam *dispennite* et ad eius exemplum *distennite* quoque receperunt editores.

N 258, 9, Pers. 305 *Plus calleo quam aprunum callum callet.* A[s] et Pal *magis calleo*, item *magis* Charisius (Gr. L. I 72, 3). Collato Most. u. 279 *Ut perdocte cuncta callet: nihil hac docta doctiust* accusatiuus *plus* defendi potest, cum praesertim haec antecedant apud Plautum: *Satin ea tenes?* Ceterum sunt loci Plautini, ubi substantiuum *plus* ad aduerbii uim propius accedat, cf. Mil. 481—82 *nec erile negotium Plus curat, quasi non seruitute⟨m⟩ seruiat?*

N 424, 17, Poen. 488—89 *Si hercle — Iuppiter Faciam (Faciat) ut semper sacrificem neque umquam litem.* A[s] et Pal *nec umquam.* Codices Plautini ante uocales modo *nec*, modo *neque* tradunt. Goetz et Loewe uix recte euitarunt

syllabarum collaqueationem in pedis quinti arsi traditam emendando *numquam* cum Guyeto et Reizio: Fleckeisen ann. phil. t. 103 p. 818 commendauit *neumquam*.

N 199, 19, Poen. 908 *Calx] masculini. Plaut. Poen.: Quin prius disperiuit (disperibit) faxo quam unum calcem ciuerit.* A[s] et Pal *unam calcem*. De *calx* uocabuli genere egit Neue I p. 666; quod, ubi idem significet atque uulgare *calculus*, tamquam masculinum usurpatum esse Nonius unus est testis. Ceterum ubi hoc nomine significatur infima pedis pars aut ἄσβεστος, saepius genus masculinum usurpatum est. Editores hoc loco codices Plautinos secuti sunt.

N 331, 26, Pseud. 319 *Una opera allicem (alligem) fugitiuum canem agn(in)is lactibus.* A[s] et Pal *fugitiuam*. Apud Plautum *canis* modo masculini, modo feminini generis est, cf. Neue I p. 613 seq., cuius exemplis addenda sunt haec: Epid. 234 *(c. Laconicus)*, Trin. 172 (*haec canes*, de homine custodiente), praeter exempla nonnulla, ubi *canis* ea de causa femininum est, quod mulier significatur: uelut Men. 838 *(me ab laeua rabiosa femina adseruat canis)*, 936 *(Nam dudum uxorem suam esse aiebat rabiosam canem)*. Nescio tamen an ea differentia statui possit, ut canis, quo ad uenandum utebantur, praecipue masculino genere significaretur (cf. Capt. 85—6 *uenatici*, Mil. 268 *uenaticus*, Epid. 234 *Laconicus*, cui obseruationi uix obstat Stich. 139, siquidem ibi mulieres significantur), contra canis, qua ad custodiendum utebantur, praecipue feminino (cf. Trin. 172 [de homine custodiente], Most. 849 (cf. 852), 854 seq. [de cane ad fores accubante]). Sed ne id quidem pro certo affirmauerim, Pseud. 319 propter *alligem* necessario de cane ad custodiendum alligata cogitandum esse.

N 170, 25, Pseud. 382 *Simulter] pro similiter. Plaut. Pseud.: Exossabo ego illum simulter itidem ut muraenam cocus.* A[s] et Pal *similiter*, quae forma ne ipsa quidem metro respuitur. Men. 146, ubi hoc aduerbium iterum occurrit, codices Plauti Palatini *similiter* exhibent. Ritschl Pseud. 382 formam a Nonio traditam recepit.

N 84, 15, Pseud. 864 *Conquiniscere et o(c)quiniscere]*

inclinari significat. Plaut. — Idem et ⟨Pseu⟩dolo: Si conquiniscesi (conquiniscet) istic, ceueto simul. A^s *Si conquiniscet istic, conquiniscito,* Pal *Si conquiniscet* (B *conquiscet*) *istic, conquiniscito simul.* Aduerbium *simul*, quod Pal in uersus fine addunt, cum in senarium iambicum non quadret, ex uersu antecedente, qui in *simul* exit, errore librarii repetitum uidetur esse. Verbum a Nonio traditum *ceuere* apud Persium, Iuuenalem, Martialem significat „clunes mouere in concubitu"; idem commemoratur a Probo grammatico, et Gloss. Lat. Gr. habet: *Ceuo, uergo, inclino, κύπτω.* In prisca Latinitate nusquam recurrit; apparet tamen ne eam quidem recensionem, quam Nonius tradit, Plauto indignam esse, quamquam editores eam spreuerunt.

N 406, 4, Rud. 533—34 *Utinam fortunam nunc anatinam* (sic P; H²LW *anutinam,* H¹ *canutinam) terent (uterer Ut) — tamen.* A^s et Pal *fortuna — anetina.* Verbum *utor* Plautus saepe cum ablatiuo, saepe cum accusatiuo coniunxit, cf. Draeger synt. I 568, Holtze synt. I 138 et 276 seq. Deinde Nonium *a* uocalem in altera adiectiui syllaba uoluisse codex P indicare uidetur; de forma *anetinam* cf. Lachmann ad Lucr. p. 16. Nonium secutus est Fleckeisen.

N 470, 9, Stich. 144 *Probiores uero arbitrabunt, si probis narraueris.* A^s et Pal *Probiores credo arbitrabunt.* Collatis eis, quae de aduerbii *uero* significatione atque usu Plautino exposuit Langen (Beitr. p. 113 seqq.), elucet Plautum non minus apte hoc loco *uero* („re uera") usurpare potuisse quam *credo,* quod similiter atque in hoc uersu, parenthetice apud Plautum identidem positum est (cf. Brix ad Trin. 115).

N 192, 10, Stich. 348—49 *Ut operas araneorum tergam et texturam improbem, Deiciamque — telas.* A^s et Pal *operam omnem.* Langen, qui accurate de *opera* uocabulo agit (Beitr. p. 104), hoc loco, ubi *opera* significat „opus confectum", et singularem et pluralem recte stare docet; cf. Asin. 425 *(operas araneorum,* ubi in clausula septenarii iambici metrum pluralem flagitat). Singularem qui probat, is oportet et *operam* et *texturam* (= texentium munus) uim abstractam habere putet.

N 220, 9. Trin. 410 *An (Quam) si formicis obicias papauerem.* A[s] et Pal *Quam si tu obicias formicis papauerem*; idem tradit Charisius (Gr. L. I 83, 27). Verborum collocatio Noniana non minus bene stat; neque ullo modo *tu* desideratur. Cf. Ritschl prol. CCXV et CCXII.

D. Nonius discrepat ab A et Palatinis inter se discrepantibus.

N 227, 19, Pseud. 152 *Nunquam edepol uestrum durum (durius) tergum erit quam hoc terginum meum.* A[s] *quam terginum meum*; Pal *quam terginum hoc meum.* Pronomen *hoc* etsi non omni modo desideratur, tamen apte additur, cum Ballionem terginum manu tenentem in scaena adesse ostendat u. 154. Pronominis *hoc* collocatio Noniana non minus quam Palatina ferri potest, cf. Iosephus Bach in Studemundi Stud. II p. 157.

N 12, 16, Trin. 251—52 *Vestispici] appellabantur uestium custodes serui, quod frequenti diligentia uestis inspiciant. Plaut. Trin.: Nox datur, ducitur familia tota: Vestispici, unctor, auri custos.* A[s] *Vestispica*; Pal *uestiplice* (i. e. *uestiplicae*). Pluralis, quem Nonius et Pal tradunt, nihil offensionis habet (cf. uu. 252 et seqq. *flabelliferae, sandaligerulae* etc.). Praeterea mares et feminas in meretricis comitatu lepide illustrando poeta miscuit, ut ne ea quidem ratio ullam ansam ad uarias lectiones *(uestispici, uestispica — uestiplicae)* diiudicandas praebeat. Ritschl (cf. prol. p. LXIII) et Schoell scripserunt *Vestiplica.*

II. Palatini soli seruati sunt:

N 497, 32, Amph. 187 *Genitiuus positus pro ablatiuo uel aduerbium* (Quich. *aduerbio*) *loci. — Plaut. Amph.: Ut salui potiremur domi.* Pal *domum.* Verbum *potiri* apud Plautum modo cum ablatiuo, modo cum genetiuo, modo cum accusatiuo coniungitur: cf. Draeger synt. I p. 569 seq., Brix ad Trin. 1. Ceterum fieri potuit ut in Pal, cum uersus proxime insequens ipse quoque exeat in *domum,* errore librarii *domum* exararetur pro *domi.* Genetiuum receperunt Goetz et Loewe.

N 295, 7, Amph. 324 *Si in me exerciturus (exercituru's) quaeso in parietem prius domes.* Pal *in parietem ut primum domes.* Apud Nonium igitur *quaeso* et optatiuus *domes* paratactice coniuncta sunt. Verbum *quaeso* apud Plautum ubi cum enuntiato interrogatiuo consociatum est, modo praefigitur huic enuntiato, modo medio inseritur, cf. e. g. Amph. 625 (*quaeso, non intellegis?*), 693 (*Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis —?*); alibi cum imperatiuo coniungitur, cf. e. g. Amph. 1097 *(Quaeso, absoluito hinc me extemplo)*; alibi legimus *quaeso ut* uel cum accusatiuo a *quaeso* pendente, (cf. e. g. Amph. 933—34 *te — Quaeso — ut semper iratus sies*) uel sine accusatiuo (cf. e. g. Amph. 1037 *Blepharo, quaeso ut — mi adsis*), item hoc de quo agimus loco testibus Palatinis. Denique etiam cum optatiuo aeque atque apud Nonium ubi coniungatur *quaeso,* hos locos Plautinos in promptu habeo: Men. 1073 *(Quaeso ignoscas, si quid stulte dixi),* Mil. 1341 *(Bene quaeso inter uos dicatis et mihi absenti tamen),* Pers. 145 *(Quaeso hercle me quoque etiam uendas, si lubet).* Minus res constat in his locis: Mil. 568 *Nunc hoc mihi ignoscas* (sic B^2D^3; sed B^1CD^1 *ignoscam,* A^s *ignosce*) *quaeso*; Mil. 1362 *Quaeso memineris* (sic B; C [ante *memineris*] *ot,* D *at* [*v* s. *a* add.], unde profectus Ritschl *ut*); uide etiam Capt. 340, ubi Fleckeisen et Sonnenschein *Verum te quaeso, aestumatum hunc mihi des,* sed Brix *Verum quaeso ut aestumatum,* cum libri fere exhibeant *Verum te quaeso ut aestumatum.*

N 200, 14, Amph. 445 *Collus] masculini* (codd. *masculino*) — *Plaut. Amph.: Malae, mentum, barba* (LW *barra,* H *barba, r* s. alt. *b* add.), *collus.* Pal *collum.* Apud Plautum Capt. 357 *collus* tradunt libri, Capt. 902 (accusat. plur.) *collos*; sed praeter hunc de quo agimus locum neutrum *collum* traditum est Rud. 888, quamquam huius uersus memoria parum certa est; (Pers. 691, ubi *hunc in collum* traditum est, Ritschl recte emendauit *huc in collum*). Ex ceteris locis, ubi occurrit, de huius uocabuli genere nihil concludi potest. Sed cum Nonius ex ipsa prisca latinitate multa masculini *collus* congesserit exempla, non male Goetz et Loewe masculinum

receperunt: cf. etiam Brix ad Trin. 1014. Appel „de genere neutro intereunte" p. 80 et *collus* et *collum* Plauto uindicat.

N 166, 33, Amph. 678 *Rumiferare] dictum honeste, rumoribus ferre. Plaut. Amph.: Quamque ideo (adeo) ciuis Thebani uero rumiferant probam.* Pal *rumificant.* Neque *rumiferare* neque *rumificare* alias occurrit. Sed *rumigerare* (uel *rumigerari*) extat e. g. apud Festum p. 270, 19 (cf. Fest.-Paul. p. 271, 3). Similitudine huius uerbi et uerbi compositi *uociferare* usus Ussing cum Fleckeiseno (ep. crit. p. XVIIII) et Goetzio Loewioque *rumiferare* probauit.

N 9, 6, Amph. 843 *Si uera haec loquitur — optima.* Pal *haec uera.* Utraque lectio ferri potest.

N 88, 22, Amph. 978—79 *Fac iam Amfitrione⟨m⟩ aduenientem ab aedibus Ut abeat (abigas) — si[e]s.* Pal *iam* non habent.

N 504, 15, Amph. 1102 *Postquam peperit, pueros lauere iussit [ut] hos (nos): accedimus.* Pal *occepimus.* Quamquam concedendum est uerbo *occepimus* actionis processum fortius significari quam uerbo *accedimus,* tamen ne Nonianam quidem lectionem Plauto abiudicauerim: nam in praesente, nimirum in narratione concitata, offendendum non esse docent uu. 1103, 1108, 1109 etc.

N 191, 20, Amph. 1108 *Angues] feminino. Plaut. Amph.: Deuolant angues iubatae ⟨deorsum⟩ in compluuium duae* (sic H[1]; H[2] et ceteri codd. *duo*). Pal *iubati — duo*; etiam Seruius Danielis (in Verg. Aen. II 206) masculinum exhibet *(angues iubati). anguis* uocabulum plerumque quidem masculinum esse Neue I 612 docet; nonnumquam tamen etiam femininum occurrit, et Prisciano quidem teste (Gr. L. II 160, 16) apud uetustissimos. Ceterum quod codices Noniani plerique *duo* habent, unus H[1] recte *duae,* id aut librariis tribuendum est aut secundum posterioris temporis usum (cf. Neue II 145) *duo* a Nonio uel eius auctore pro forma Plautina (*duae,* cf. Neue l. c.) substitutum est.

N 388, 6, Amph. 1127 *Ut Iouis supremi multis host⟨i⟩is pacem petam.* Pal et Non. p. 460, 11 *expetam.* Trisyllabas uerbi *expetere* formas in uersuum iambicorum et trochaicorum

clausula Plautus in deliciis habuit; cf. Rud. 1393, Most. 1116, Merc. 937, Pseud. 43, saepius. Tamen ne *petam* quidem hoc loco damnandum est; cf. Curc. 270—71 *pacem ab Aesculapio Petas.* Similis huius loci ratio est atque eorum, de quibus dixit Studemund ad Vidul. fragm. V u. 34.

N 483, 8, Asin. 145 *Mansuetem* (codices *Mansuete et mansues)] pro mansuetum, ut sit nominatiuus mansues. Plaut. Asin.: Reddam ego te ex fera fame mansuetem.* Pal *mansuetam.* Praeter hunc locum Asin. 504 Pal iterum *mansuetam* tradunt. Verum editores utroque loco *mansuetem* formam antiquiorem praetulerunt. Cf. Neue II 96.

N 76, 29, Asin. 196—97 *Ubi illa quae dedi ante? Abusa nimis (nam si) ea durarent mihi, Mulier mitteretur ad te nec te quicquam pascerem (poscerem).* Pal *illaec.* Et *illa* et *illaec* stare potest, cf. Schmidt quaest. de pron. demonstr. formis Plaut. p. 72. Deinde Pal *numquam* pro *nec te.* Nonii lectione cum elegantior sententiarum conexus efficiatur, Fleckeisen, Goetz et Loewe *nec te* receperunt. Ussing tamen *numquam* seruauit. Quod ita defendi potest, ut lena cum maiore affectu sententiam suam proferat asyndeto admisso et uerbis *numquam quisquam* compositis, quae saepe coniuncta apud Plautum occurrunt, cf. e. g. Amph. 248, 459, 516, 672, 910 etc.; uide etiam Brix ad Men. 1012.

N 414, 16, Asin. 262 *Sed quid hoc quod picus ulmum tundit? haud temerarium est.* Pal *non.* Fleckeisen *hau,* Goetz et Loewe nec non Sigismund „de *haud* negationis apud priscos scriptores usu“ (comment. phil. Ien. uol. III p. 242) *haud*; Ussing *non.* Aul. 184 traditum est *non temerarium est,* 624 *non temere est,* Trin. 740 *Non temere dicant te benignum uirgini.* In negandis adiectiuis aduerbiisque et maxime quidem in λιτότητι quae uocatur Plautum negationem *hau(d)* adamasse constat, quamquam certa ratione non usus est.

N 145, 33, Asin. 266 *⟨M⟩etuo cum illic obsceuauit meae falsae fallaciae.* Pal *Metuo quod illic.* Particula *quom* ubi uerbum *metuere* apud Plautum sequitur, uim temporalem seruauit, cf. Pseud. 1114 *(Metuo, quom hic non adest, ne me-*

tuam. quom adsiet), 1214 *(Edepol ne istuc magis magisque metuo, quom uerba audio)*; Mil. 891 *Ergo istuc metuo quo* (sic codd.) *uenit uobis faciundum utrumque*, ubi Ritschl et Lorenz suppleuerunt *quo⟨d⟩*, rectius fortasse Mueller (Nachtr. p. 34) Ribbeck Brix *quo⟨m⟩*; uide Brix ad h. l. De particula *quod*, quam receperunt Fleckeisen, Goetz et Loewe, a uerbis affectuum quae dicuntur suspensa cf. Langen Beitr. p. 56 seq.: Asin. 266 autem *quom*, quod Ussing probauit, ita tantum ferri potest, ut uim et temporalem et causalem habere dicatur.

N 232, 16, Asin. 295 *Quae* ***illa*** *praeda est? Ibo aduorsum atque electabo quidquid est.* Pal *illaec*.

N 227, 19, Asin. 319 *Tergum] neutro genere dici et consuetudo et ueterum firmat auctoritas. — Masculino Plaut. in Asin.: Habeo, opinor,* ***familiarem*** *tergum, ne qu⟨a⟩eram foris.* Pal *familiare*. Cf. Neue I 539—40. Masculinum, cuius hoc unum extat testimonium, receperunt editores, et Ussing quidem ita, ut *familiarem* praedicati loco positum intellegat conseruum.

N 3, 26, Asin. 377 *Quin promitto, inquam, hostire contra ut* ***memineris***. Pal *merueris*. Utrum Plautus dicere uoluerit: „te aequo modo, atque tu me, feriam, ut memor sis (sc. plagarum)", an „ut merueris", non deciderim.

N 192, 10, Asin. 425 *Araneae] et feminini sunt generis. — Masculini Plautus — Idem Asin.: Ius incolomem* (sic H[1] pro *Iussin columnis*) *deici* ***telas aranceorum****?* Pal *operas aranearum*. Et *telas* et *operas* (cf. supra p. 133) stare potest; item et *araneorum* et *aranearum* (cf. supra p. 130). Ceterum moneo lectione Noniana *(telas)* recepta legitimum hiatum, qui est in Pal in caesura principali septenarii iambici, euitari.

N 151, 15, Asin. 506—7 *Ubi pien (piem) [colam] pietatem, si* ***istoc*** *more moratam tibi Postulem — praecipis?*; item Nonius p. 375, 16 eosdem uersus laudans ***istuc*** (sic codd. pro *istoc*): Pal *isto*.

N 151, 19, Asin. 515—16 *Et meam partem loquendi et tu⟨a⟩m tardo (trado) tibi, Ad loquendum atque ad iacendum (tacendum)* ***tu ut*** *habe⟨a⟩s portisculum.* Pal *tute habeas*;

Isidorus quoque in Originum l. XIX 2, 13 *tute habes* (pro *habeas*). Apud Nonium enuntiatum alterum cum priore hypotactice coniunctum est („ita ut habeas"), quam structuram probauit Ussing, in Pal paratactice, quam structuram receperunt Fleckeisen, Goetz et Loewe.

N 439, 27, Asin. 784 *Neque illa* (sic H[1]; ceteri codd. *ulla*) *ulli hominum nutet, nictet, annuat.* Pal et Nonius p. 438, 13 *homini.* Siquidem codices Noniani 439, 27 tradere dicuntur *hominum* (quamquam Mercerus et Gerlach habent *homini*; Quicherat nulla subscripta de codicibus adnotatione *hominum*), duplicis recensionis uestigium superest. Et docuit Lorenz ad Most. 712, ubi *deorum ullum* traditum est, ablatiuum et genetiuum et (rarius) datiuum pronominis *ullus* substantiui uice fungi posse.

N 151, 29, Asin. 792 *Nec ullum uerbum faciat per-p⟨l⟩exabile.* Pal *Neque.* Modo *nec* modo *neque* ante uocales tradunt codices Plautini.

N 13, 15, Asin. 862—63 *Qui quidem cum filio Pote[s]t una[m] atque unam amicam duct[it]et decrepitus senex.* Pal: BD *una amicam,* EJ *unam amicam.* Accusatiuum *unam* si praefers, sententia haec est: „unam eandemque amicam pater cum filio ductat"; et dicitur prorsus eodem modo u. 825—26 idem pater *Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die Potare. una* contra uix minus apte significat „simul cum filio" (cf. Langen Beitr. p. 243). Itaque *una* commendari mihi uidetur anaphora, *unam* (quod recepit Fleckeisen) uersu 825, quem respicit parasitus.

N 233, 2, Asin. 894 *An foetet anima tuae uxori?* Pal *uxoris tuae.* Versus plenus, quem tradunt Pal, hic est: *Dic amabo an f⟨o⟩etet anima uxoris tuae? Nauteam.* De hiatu uide supra p. 104. Non minus quadrat ad usum loquendi Plautinum datiuus limitatiuus, quem Nonius exhibet (cf. Peine „de datiui usu apud priscos script. lat." p. 70—72), quam genetiuus.

N 8, 6, Asin. 894—95 *Nauteam Bibere malim, si necesse sit, quam illam oscularier.* Pal *necessum* (sed in E *um*

ex *e*). Modo *necessum est* modo *necesse est* tradunt codices Plautini; cf. Lachmann ad Lucr. p. 397.

N 360, 4, Aul. 53—54 *Oculos ego [tibi] istos, improbe (improba), ecfodiam tibi, Ne me obseruare possis quid rerum geram.* Pal *Oculos hercle ego istos.* Pronomen *tibi* perperam ex senarii clausula repetitum et in exemplo Noniano delendum esse supra p. 50 monui. *hercle*, quod est in Pal. in sermonem concitatum bene quadrat nec tamen desideratur. Possis conicere pronomine *tibi* inculcato in exemplo Noniano *hercle* suo loco intercidisse.

N 144, 29, Aul. 525 *Nugiuendos] Plautus dici uoluit omnes eos qui aliquid mulieribus uendant;* e. q. s. *Plaut. in Aul.: Ubi nugiuendis res soluta est omnibus.* Pal *nugigerulis. nugiuendus* adiectiuum hoc uno loco occurrit. *nugigerulus* in glossis quibusdam ex Isidoro haustis, quas Loewe affert (in Prodrom. p. 260 seq.: *nugigerulus: turpis nuntius*, et *nugigerulus: odium portans*): quas ad hunc de quo agimus locum referre uix licet.

N 455, 3, Aul. 561—62 *[in] quo quidem agnoscat (agno sat) scio Magis curiosam numquam esse ullam beluam.* Pal *nusquam* non male. Sicut *numquam — quisquam*, ita *numquam — ullus* saepius ad negationis uim corroborandam Plautus composuit, e. g. Cas. V 1, 3, Pers. 583, Rud. 1335 etc.; *nusquam — ullus* apud Plautum non legi, *nusquam — quicquam* extat Men. 780.

N 86, 2, Aul. 563 *Volo scire ego ex te qui sit agnus curio.* Pal *Volo ego ex te scire.* Verba *uolo scire* nullo uocabulo dirimire solet Plautus (cf. Kellerhoff in Studemundi Stud. II p. 83), quamquam unum exemplum (Rud. 1312 *uolo ex te scire*) lectionem Palatinorum tutatur. Verborum collocationem usitatam ex Nonio recepit Goetz. (Ceterum moneo Quicherati neglegentia, ut uidetur, deceptum Goetzium adnotare Nonium *quid* [pro *qui*] tradere; nam exhibent H[1] *que*, H[2]P Gerl *qui*; contra Quicherat nulla subscripta de codicibus adnotatione: *quid*).

N 375, 16, Aul. 589 *Nam qui eri ex sententia seruire seruus postulat.* Pal *ero.* Quamquam similis genetiuus *(eri*

ex sententia) Truc. 961 legitur *(Verum utrique mos geratur amborum ex sententia)*, tamen datiuum *ero*, qui pendet a uerbo *seruire*, nullo modo improbandum esse arbitror.

N 317, 26, Aul. 657 *Postremo hunc iam perscrutaui: nihil habet.* Pal *hic nihil[i] habet.* Pronomen *hic* necessarium non est. Deinde et hic et p. 469, 2 (ubi Nonius iterum haec uerba laudat: *Postremo hunc iam perscrutaui*) Nonius paulo suauius *hunc iam* tradit, quod editores receperunt; Pal *iam hunc.*

N 322, 3, Aul. 682 *Dixi tibi mater: iuxta mecum rem tenes.* Pal *rem mecum.* (Eandem collocationem apud Nonium Quicherat exhibet, sed H P Gerl *mecum rem*). Solet quidem Plautus praepositionem *cum* quam artissime cum *iuxta* coniungere; cf. Mil. 233—34 *(ut scias Iuxta mecum mea consilia)*, Pers. 249 *(iuxta tecum, si tu nescis, nescio)*, 545 *(Iuxta tecum aeque scio)*, Pseud. 1161 *(iuxta cum ignarissumis)*. Sed Trin. 197 *(Iuxtaque eam curo cum mea)* ceteris exemplis obstat. Pro Nonio faciunt uerba *rem tenes* nullo alio loco apud Plautum uocula intercedente dirempta: quater enim habet *ómnem rém tenés* in clausula uersuum iambicorum uel trochaicorum (Truc. 411, Aul. 782, Merc. 478, Pseud. 651), semel in medio uersu *rém tenés* (Cist. II 3, 6).

N 229, 31, Aul. 691 *Perii, mea nutrix: obsecro, uterum dolet.* Pal *obsecro te, uterum. obsecro* saepe apud Plautum absolute sermoni insertum esse constat. Itaque si ab hiatu recesseris post absolutum iambum quartum uix condemnando, lectio Noniana non minus recte stat quam Palatinorum.

N 152, 7, Aul. 701—2 *Pici diuiti⟨i⟩s qui aureos montes colunt, Eos solus supero.* Pal *Ego solus.* Nomen, quod proprie ad sententiam primariam pertinet, ubi anteposita est sententia (secundaria) relatiua, casum relatiui pronominis sequi posse docent exempla ab Ussingio (ad Amph. 1002) collecta. Itaque *eos* hic scribere poterat Plautus; nec tamen necessario flagitatur pronomen demonstratiuum: cf. e. g. Men. 311—12 *(Nummum illum quem mihi dudum pollicitu's dare, Iubeas, si sapias, porculum afferri tibi).*

N 284. 7. Aul. 708 *Ubi ille abi⟨i⟩t, ego me duco sursum (deorsum) de arbore.* Pal *deorsum duco.* Utraque uerborum collocatio ferri potest.

N 128. 33. Aul. 774—75 *Nec partem tibi Adeo — excipies?* ‖ N 293. 11. Aul. 774—75 *Nec partem tibi Adeo — excipias (excipies)?* Pal *neque.*

N 83. 28. Bacch. 743 *Quod dem scortis quodque in lustris* (sic L: HPW *quodque illustris*) *comedim, congreger (congraecer), pater.* Pal *comedim et congregem (congraecem).* Particulam *et* deesse posse docet Most. 22 *(Dies noctisque bibite, pergraecamini).* Deinde collatis formis deponentialibus *pergraecari* (Bacch. 813, Most. 22; Titin. u. 175 Ribb. et *graecari* (Hor. sat. II 2, 11) lectio Noniana *congraecer* defendi potest. Nonium secutus est Ussing, Goetz Palatinos.

N 6. 12. Bacch. 792—93 *Nunc ab transenna* (Pal *trasenna) turdus lu⟨m⟩bricum petit. Pendebit — tenus.* Pal *hic turdus* non inepte, cum haec uerba, quae seruus secum loquitur, spectent ad senem in scaena praesentem.

N 136, 3. Capt. 135 *Ossa atque pelli⟨s⟩ sum miser macritudine.* Pal *misera macritudine* (pro quo emendandum est: *aegritudine*).

N 7, 28, Capt. 662—63 *Non occatorem prius audebas dicere? Nam — rustici.* Pal *dicere audebas prius. dicere* in eadem sede (post caesuram penthemimeren) senariorum iambicorum ita collocatum, ut posterius *e* elidatur, saepius occurrit apud Plautum: cf. Bacch. 910, Curc. 43, Men. 738, Cas. IV 2, 15, Poen. 437, Rud. 1250. Idem tamen saepissime extat in senariorum iambicorum clausula: cf. e. g. Asin. 9, 789, Bacch. 265, Curc. 650, Mil. 819, Most. 667, Pseud. 843.

N 95, 17, Capt. 672—73 *Deartuasti, dilacerauisti [at]que opes Confecisti.* Pal *Delacerauisti deartuauistique.* A priore uerbo in antecedentibus pendet *me meamque rem.* Palatinorum lectio eo commendatur, quod uerbi *deartuare* primae syllabae duae in unam coeunt. Attamen ne id quidem diiudicauerim, utrum *delacerauisti* (quam Fleckeisen

probauit ep. crit. p. XXII; item Brix) an *dilacerauisti* sit forma Plautina.

N 143, 12, Capt. 717—18 *Quid? — dic Recens captum hominem, nuperum, nouicium.* Pal *nuperum et nouicium.*

N 72, 21, Capt. 832 *Priusquam pulsando assulatim foribus exitium dabo.* Pal *pultando.* Quamquam Plautus plerumque *pultare aedes, fores* etc. scripsit, tamen etiam uerbi *pulsare* uestigia haec codices seruauerunt: Rud. 331—32 *(hanc quae proxuma ⟨hic⟩ est uilla — Pulsare iussisti),* Bacch. 578 seqq., (ubi haec sese excipiunt: 578 *Quae harum sunt aedes, pulta,* 579 *ut pulsat propudium,* 581 *Fores pultare nescis,* 583 *quae istaec est pulsatio?*); alia est condicio Epid. 527—28 *multa — meum pectus pulsant simul.* — Deinde Pal *exitium adfero* (J *affero*); quod Brix, Ussing, Fleckeisen (ep. crit. p. XXII) probauerunt, sed in contextum Fleckeisen *dabo* recepit. In futuro a *priusquam* pendente *(dabo)* apud priscos scriptores nulla offensio est, cf. Draeger synt. II 590 seq.; et respecta similitudine locutionis *malum dare,* quae apud Plautum saepe occurrit (cf. Thielmann „Das Verbum *dare*" p. 66), cur *exitium dare* Plauto abrogandum sit, nescio. Ne Thielmann (l. c. p. 69) et Langen (Beitr. p. 215) quidem, utra locutio sit Plautina, diiudicant.

N 308, 11, Cas. II 3, 49 *Nam quid — cupide petis?* Pal et Nonius p. 7, 9 *cupide cupis.* Ne *petis* quidem prorsus damnauerim coll. Most. 73, ubi Lorenz cum codicibus *cupide petas* scripsit, et Stich. 284, ubi A[s] *cupide expetit.*

N 102, 29, Epid. 188 *Iam ego me conuortam in irundines (hirudinem) Atque horum exorbebo sanguinem.* Pal et N 479, 21 *eorum.* Etiam *horum* tolerari potest, cum duo senes, quorum sanguinem exsugere uult Epidicus, iam adsint in scaena.

N 173, 8, Epid. 609 *Quid illud est quod illi caper[r]at frons seueritudine?* Pal et N 8, 31 *illuc* (sic Quicherat; sed Mercerus et Gerlach hoc quoque loco: *illud*; et sic P).

N 394, 15, Men. 168 *Nec (Nam ex) isto loco spurcatur nasum odore inluti[bi]li.* Pal paulo probabilius *istoc* (item codices Noniani teste Quicherato [?]; sed H et Gerl *isto*).

N 519, 20, Men. 555—56 *Demam hanc coronam atque abiciam ad laeuam manum, Ut, si sequentur me, hac abisse censeant.* Pal: $B^2 D^3$ *hac me,* $B^1 D^1$ *hec me,* C *haec me.* Videntur igitur homines docti, qui contextum Plautinum recensuerunt, *me* partim tamquam obiectum ad *sequentur* (uel fortasse *sequantur,* cf. supra p. 128) rettulisse, partim tamquam subiectum cum infinitiuo *abisse* ita coniunxisse, ut ante *hac me* interpungeretur. Nonium secuti sunt Ritschl et Brix. Tamen ne Palatinorum quidem lectionem spreuerim.

N 468, 13, Men. 707 *Adibo atque hominem accipiam dictis quibus meret.* Pal *quibus dictis.*

N 166, 5, Merc. 138 *Ramices] dicuntur pulmones uel hernia* (codd. *hirnea*). *Plaut. Merc.: Tui (Tua) causa rupi ramices — sanguinem.* Pal: B *ramites,* CD *tramites* ‖ N 166, 5, Poen. 539—40 *Neque — flagitat Tua causa nemo nostr⟨or⟩um est suos rupturus ramices.* Pal *ramites.* Neue I 140 et Corssen „Aussprache" II 206 unam formam *ramex* afferunt. Sed formae, quam Pal tradunt, uestigia occurrunt etiam apud Plinium nat. hist. XXVI 79, ubi traditus est datiuus *ramiti,* et XXX 136 *ramitosis* (contra *ramicosus* scripsit Marcellus Empiricus 33). Plin. nat. hist. XXII 121 autem traditum est *ramicum,* apud Lucilium IX 73 M. *ramice* (ex Nonio), Iuuen. 10, 205 *ramice,* et saepius. In quibus exemplis omnibus uocabulum significat 'herniam'. Locos, ubi idem significat 'pulmones', omnes affert N p. 166; et sunt praeter duos, quos exscripsi, uersus Plautinos duo exempla Varroniana (sat. Men. 192 et 561 B.: *ramices rumpit*), ubi codices habent *ramices* (sed H mg. *ramites pulmones*). Contra Pal formam *ramites* commendant. Editores apud Plautum *ramices* utroque loco ex Nonio receperunt.

N 191, 29, Merc. 859 *Neque ulla mihi obstauit (obstabit) amnis nec mons atque (neque) adeo mare.* Pal *obsistet.* Et *obstabit* recte dicitur (cf. Stich. 287 *Si rex obstabit obuiam, regem ipsum prius peruortito,* Mil. 996 *Eos nunc homines metuo ne obsint mihi neue obstent uspiam,* Trin. 36—7 *gratiae Quae in rebus multis opstant odiossaeque sunt,* Curc. 291

Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis) et *obsistet* (cf. Amph. 985 *Nec quisquam* ⟨*nunc*⟩ *tam audax fuat homo qui obuiam obsistat mihi,* Curc. 284 *Neque nunc quisquamst tam opulentus, qui mi obsistat in uia,* Curc. 291 [uide supra]).

N 4, 21, Mil. 627—28 *Quid ais totam (tu? tam) tibi ego uideor oppido hac eruntius* (sic H; PW *hacheruntius,* pro: *Acheruntius*), *Tam capularis?* Pal *tu? itane tibi.* Quid *itane* hoc loco significaret, explicauerunt ita, ut tacite hanc lectionem probarent, Langen (Beitr. p. 330 seq.) et Braun („obseruationes grammat et crit. ad usum *Ita Sic Tam [Tamen] Adeo* particularum Plaut. ac Terent. spectantes" p. 56 seq). Sed idem Langen (p. 234), ubi de *tam* particula agit, tacite recepit *tam,* idque probauerunt Brix, Lorenz, Ribbeck. Praeterea *tam* commendatur anaphora. Deinde Pal *Acheruntícus*: et sic etiam Bacch. 198 *Acheruntícas,* Merc. 290 *Acheruntícus* (ubi Ritschl adnotat: „*acheruntius* nescio an uerius sit."). Cum in lingua Graeca adiectiuum Ἀχερόντιος non raro occurrat, formam *Acheruntius* prauam esse minime licet contendere.

N 392, 13, Poen. 791—93 *Eheu! quam ego habui ariolos aruspices! Quia (Qui si) — est. Eheu! quom* cum Pal scribendum commendauit Luebbert Beitr. II p. 104 seq., cf. etiam Brix ad Capt. 995; attamen collatis exemplis (Pseud. 783, Ter. Heaut. 1043), quae affert Richter „de usu particularum exclamatiuarum apud poetas Augusti aequales" (progr. Hagenoae 1878) p. 9, ne Nonianam quidem lectionem damnauerim.

N 362, 27, Rud. 377 *Capillum promittam, optimum est, incipiantque (incipiamque) hariolari.* Pal *occipiamque.* Et *incipere* et *occipere* promiscue usurpauit Plautus.

N 151, 10, Rud. 1314 *Praeterea — in pasceolo seorsum.* Pal *sorsus.* Cf. quae supra p. 130 de *prorsum* et *prorsus* formis disputaui. *sorsus* receperunt Reiz et Fleckeisen.

N 142, 33, Rud. 1404 *Nolo ego murmurillum neque susurrum fieri.* Pal carent pronomine *ego,* quod ne consuetudine quidem sermonis Plautini flagitatur, cum in uersibus iambicis et trochaicis saepissime et *nólo ego* et *nólo* occurrat. Pronomen *ego* Fleckeisen ex Nonio recepit.

N 525, 20, Trin. 166—68 *Quia ruri dum sum ego unos sex dies Me — Aedis uenalis hasce* *inscripsit* *litteris.* Pal *inscribit.* Et perfectum (cf. u. 165 seqq. *Paene — pessumdedit? Quidum? Quia — inscripsit*) et praesens historicum recte hic stat.

N 84, 25, Trin. 692—93 *Haec famigeratio Te honestet — duxeris.* Pal *famiferatio* (sed iidem, ubi hunc uersum post u. 704 iterant, *famigeratio*). Brix u. 215 *famigeratorum,* u. 219 *famigeratori* extare itaque *famigeratio* recipiendum esse monuit. Contra Loewe anal. Plaut. p. 198 collatis uerbis *uociferare* et *rumiferare* substantiuum *famiferatio* tamquam exquisitius ab ipso Plauto profectum esse uult.

N 497, 32, Trin. 1153 *Genitiuus positus pro ablatiuo uel aduerbium* (Quich. *aduerbio*) *loci. Plaut. Trin.: Non ego sum dignus salutis?* Pal *salute dignus.* Lectionem Nonianam cum olim damnauisset Ritschl (prol. p. LXXXIV), postea ipse recepit in alteram editionem nec non Schoell in tertiam, item Brix. Adiectiuum *dignus* apud Plautum cum genetiuo coniunctum nusquam inueni. Cf. Draeger synt. I 478.

N 457, 20, Truc. 497—98 *Nunc ad amicam, decimo mense* ⟨*post*⟩, *Athenas attiseas (atticas) Viso, quam grauidam hic reliqui meo compressu quid* (P Gerl *quod*) *ea agat.* Pal *Nunc amicam.* Verbi *uisere* duplicem esse constructionem apud Plautum docent haec exempla: Mil. 520 *Vise ad me intro,* Epid. 303 *ego uisam ad forum,* Capt. 894 *Vise ad portum* (cf. etiam Cas. III 4, 1 *Viso huc, amator si a foro rediit domum*), itaque lectionem Nonianam *ad amicam — Viso — quid ea agat* recepit Schoell. Contra eadem constructio, quam Pal exhibent, extat e. g. Rud. 592 *Nunc lenonem quid agat* (codd. *agit*) *intus uisam conuiuam meum.* Bacch. 1084 *(nunc Mnesilochum quod mandaui Viso ecquid eum — compulerit)* Ritschl cum Acidalio uix recte dedit ⟨*ad*⟩ *Mnesilochum.*

Postremo nonnullos locos affero, ubi propter aliquam aut contextus Noniani aut Palatinorum corruptelam uestigia recensionis a Palatina discrepantis apud Nonium non tam certo cognoscere quam suspicari licet:

N 307, 26, Asin. 157 *Remigio ueloque quantum potes, festina et fuge.* Pal *poteris.* Apud Nonium *potes* ex *potis es* (aut ex *potis est,* quod probauit Sauppe) corruptum esse ueri est simillimum: quod receperunt Fleckeisen, Goetz et Loewe. Sed ne in futuro quidem offendere licere Ussingio assentior.

N 308, 32, Asin. 174 *Nam nec fictum usquam est nec dictum* (LW *tictum,* pro *pictum*) *neque scriptum in poematis* || N 493, 8, *Nam nec fictum unquam (usquam) est neque pictum neque scriptum in poematis.* Pal *Nam neque usquam pictum neque scriptum in poematis.* Nisi grauius corrupta est Palatinorum lectio, uerborum collocationem a Nonio discrepantem nec tamen minus aptam habebant hanc: *Nám neque usquám fictúmst neque píctum* e. q. s. Quod si recte conieci, facile intellegitur, quomodo librarius a *fictum* ad *pictum* oculis aberrare potuerit.

N 524, 20, Aul. 405 *Redeo intro, ne quid hic turbae fiat (fuat).* Pal *turbae hic itidem fiat.* In exemplo Noniano omissum est *itidem*; et uidetur restituendum esse *hic itidem turbae fuat*; qua uerborum collocatione recepta hiatus, qui est in Pal, euitatur. (Non recte Goetz adnotat pronomen *hic* quoque a Nonio omitti).

N 510, 23, Pers. 255—56 *Quam meo amico amiciter hanc commoditatis copiam Danunt.* Pal *Quia meo. Quam* Nonianum ex *Quom* corruptum esse uerisimile est, nam antecedunt haec: *Ioui — Lubens uitulor* ⟨*at*⟩*que* ⟨*dis cunctis*⟩ *merito.* Ritschl, ut metro satisfieret, emendauit *Quoniam*; quod improbauit Luebbert (Beitr. II p. 103 seq.), qui coniunctionem *quia* secundum usum loquendi Plautinum ferri posse docet nec tamen propter ictum parum eleganter in syllabam postremam cadentem probat. Cum coniunctionem *quom* sescenties post locutiones gratias agendi Plautus usurpauerit (uide Brix ad Capt. 151, Trin. 823), nescio an cum Spengelio (R. V. p. 388) *Quom* ⟨*iam*⟩ *meo amico* etc. scribendum sit. Neque uero hanc spreuerim lectionem: *Quia* ⟨*iam*⟩ *meo amico* etc. Vide supra p. 104.

Huius commentationis pars prior publici iuris facta est in 'dissertationum philologicarum Argentoratensium selectarum' volumine XI p. [191]—[262]. In partis prioris capite priore ea exempla Plautina apud Nonium seruata tractaui, ubi Nonius isdem uitiis laborat atque codices Plautini, in capite altero ea, quae aut librariorum Nonianorum mendis corrupta aut consulto neglegenterue mutata sunt aut contextus Plautini formam exhibent, quae uitiis deturpata uel saltem deterior ea est, quam codices Plautini habent.